

ERICI OLAI

HISTORIA SUECORUM GOTHORUMQUE,

A

JOHANNE LOCCENIO

Iterum edita

&

Brevibus Notis illustrata.









HOLMIÆ,

Ex Officina JOHANNIS JANSSONII,

Regii Typographi.

ANNO MDC LIV.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

CAROLO GVSTAVO

D. G.

SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM REGI, MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ, DVCI ESTHONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI POMERANIÆ, CASSVBIÆ ET VENDIÆ, PRINCIPI RVGIÆ, DOMINO INGRIÆ ET VVISMARIÆ, COMITI PALATINO AD RHENVM IN BAVARIA, IVLIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM DVCI &c. PIO, FELICI, AVGVSTO, REGI ET DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



SERENISSIME
ET
POTENTISSIME
REX,
DOMINE
CLEMENTISSIME.



UANTO populi applausu & læto fremitu exceptus sit ille dies, quo Coronam regni Sueciæ è manu Reginæ CHRISTINÆ, sed auspice & authore summo DEO, Majestas Tua accepit, in ore hominum & celebratione famæ passim circumfertur. Quum enim CHRISTINA imperium ideò deponeret, ut Tua Majestas illud reciperet; non dignior tali successione reperiri potuit, nec cui potiori titulo deberetur, quam T. M^{ti}. & nascendi sorte, & jurata regni lege, & amicis ac consentientibus omnium hujus incluti regni Ordinum suffragiis ad imperium evectæ. Unde tam effusa ac larga publicæ lætitiæ seges ac materia nata est: quod omnes T. M^{tis}. subditi in Tua

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

CAROLO GVSTAVO

D. G.

SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM REGI, MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ, DVCI ESTHONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINI POMERANIÆ, CASSVBIÆ ET VENDIÆ, PRINCIPI RVGIÆ, DOMINO INGRIÆ ET VVISMARIÆ, COMITI PALATINO AD RHENVM IN BAVARIA, IVLIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM DVCI &c. PIO, FELICI, AVGVSTO, REGI ET DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



SERENISSIME

ET

POTENTISSIME

REX,

DOMINE

CLEMENTISSIME.



Uanto populi applausu & læto fremitu exceptus sit ille dies, quo Coronam regni Sueciæ è manu Reginæ Christinæ, sed auspice & authore summo Deo, Majestas Tua accepit, in ore hominum & celebratione famæ passim circumfertur. Quum enim Christina imperium ideò deponeret, ut Tua Majestas illud reciperet; non dignior tali successione reperiri potuit, nec cui potiori titulo deberetur, quam T. M^ti. & nascendi sorte, & jurata regni lege, & amicis ac consentientibus omnium hujus incluti regni Ordinum suffragiis ad imperium evectæ. Unde tam effusa ac larga publicæ lætitiæ seges ac materia nata est: quod omnes T. M^tis. subditi in Tua

non solùm potentia, sed etiam pietate, benignitate ac justitia, quibus potentiam firmas, salutis suæ præsidium ponunt. Hanc publicam & omnibus communem felicitatem, ex occasione publicè deprædicare pro mea tenuitate volui. Quum verò nihil aliud in promtu esset, quo humilimum devotionis meæ affectum testatiorem redderem, obtulit se vetus Historia Suecica Erici Upsaliensis, quam, quod non amplius exstaret, è re visum publica & literaria, iterum in lucem emittere: ut in plurium manus & notitiam veniret rerum Suecicarum scriptor, non tam nitore verborum; quippe eo seculo degens, quod barbaries & inficetæ Latinitatis veluti tabes quædam invaserat; quàm fidei integritate & ipso scriptionis argumento commendandus. Eum suo tempore Johannis Magni Historia emendatior & Notis illustrata, atque, si Deus vitam mihi concesserit & vota mea benignè provexerit, Historia Suecica ab initio rerum à Sueonibus gestarum usque ad nostram ætatem non interrupta serie à me continuata subsequetur. Ad quod me non solùm eruditi, sed & illustres viri, quibus Historia mea Suetica nuper edita placuit, consilio & authoritate sua exstimularunt. Ad illum verò laborem promtior & alacrior exsurgam, si, quod subjectissimè spero, M^tis. Tuæ clemen-

clementiam & favorem promerebitur: quum antea Mti. Tuæ lucubrationes meas non improbatas fuisse humilimo lætoque animo recorder. Quanta verò benignitate & gratia T. Mtas. quum ad Regium culmen eveheretur, Academiam hanc suam, & inter ceteros Professores ejus me qualecunque membrum dignata sit, coram nostro ordine, summam illam dignitatem Mti. T. humilimè gratulante, benignissimo alloquio, & post Coronationem, Regio donativo luculenter testata est; quæ omnes & singuli gratis ac devotissimis animis agnoscimus. Deus Ram. Tm. Mtem. publico bono natam & divinitus concessam, ei quam diutissimè, quam felicissimè superesse velit.

Vpsaliæ a. d. 25. *Sept.* cIɔ. Iɔc. LIV.

CARMEN
GRATULATORIUM.

Quum Regina CHRISTINA abdicaret imperium Sueciæ, & in CAROLUM GUSTAVUM Principem, nunc Regem, transferret.

EXonerare cupit dum se CHRISTINA *suorum*
Imperio, atque alii munia tanta dare;
Dat successorem CAROLUM: *regnoque suisque*
Reddere post sese quo meliora nequit.

ALIUD.

MEnte pari regnum dum possidet atque resignat
CHRISTINA, *& regno grandius audet opus,*
Tradere dum CAROLO *sceptrum sedet atque coronam;*
Quam tamen ille alia sumere lege velit,
Nimirum sera CHRISTINÆ *morte relictam;*
Hîc CAROLI *pietas prælia amica movet:*
Imperii curam Sueonum, bene, ut hactenus, actam
CHRISTINAM *porrò continuare rogat,*
Nec desiderio se subtrahere antè suorum,
Quàm ponenda sibi sceptraque luxque simul.

Propo-

Propositi constans sed ubi Regina repugnat:
Hac volumus potior sit pietate tua
Publica caussa, *inquit*, quæ me nunc maxima movit;
Principis hîc pietas dat superata manus.
Detrectare nefas, tantum, non impete natum,
Reginæ affectum judiciumque, putat.
Et prius invisis regnum quam cedere votis,
Et prius ancipiti quam velit esse loco,
Sanguinis & regni CAROLUS *quos jure meretur,*
Sed Virtus ipsi pollicita ante sua est,
CHRISTINÆ *accepit, missos hæc fecit honores.*
Ille sua vacuum sede subivit onus.
Reginæ tantæ Princeps succedito felix.
Est tua mens regno regia digna suo.
Qui dedit, hanc servet, vitam viresque regendi.
Te magnæ curæ gloria magna manet.

In Regis

CAROLI GUSTAVI

CORONATIONEM.

Qvum capit imperium Carolus Gustavus, *in ipsum*
A se quod transfert Christina, *& tradit habenas*
Regni, hic more quidem patrio solennia servat;
Sed nimiæ cumulum non vult admittere pompæ:
Virtutis proprio quod sat fulgore relucet.

Ræ. Mti.

Subjectissimus

Johannes Loccenius.

HISTO-

HISTORIA SVECORUM GOTHORUMQUE,

Ab

Erico Olai, quondam Ecclesiæ Ubsalensis Decano, fideliter conscripta.

LIBER PRIMUS.

EXtat in lateribus aquilonis regio amplissima, Gothia quidem famosius, sed Suecia nunc vulgarius nominata, in cujus quasi medio locus est quidam amœnus & eminens, tanquam insignior ob decentiam in caput Regni à primo mox incolatu post diluvium extiterat, constitutus. Est enim locus ipse multorum in circuitu fontium scaturigine circumfluus; habens à latere fluvium quendam labentium, omniquaque decursus aquarum in se colligentem, & in stagnum juxta positum deferentem. In circuitu verò ac ambitu longè patentem florigerorum camporum distensam habet planiciem, undè adventantibus à longè, facile loci venerandus largitur aspectus; cui è regione trans fluvium ipsum insignis admodùm civitas ob loci frequentiam est fundata. Locus autem à primordio nativâ linguâ Vbsala dicebatur; sed postmodùm eliminatâ Deorum spurcitia, & ædificatâ ibidem S. Trinitatis ecclesia, mons Domini deinceps est vocatus. Erat siquidem in monte præfato templum mirificum multâ ambitione constructum, auroque tectum; in quo trium Deorum erectæ imagines habebantur, quorum hæc erant nomina: Thor, Oden & Frigga collateraliter quidem in tricliniis collocati. Sed Thor tanquàm potentissimus & summus Deorum, in medio & aliis altior residebat, imagine viri nudi, dexterâ quidem sceptrum, sinistrâ verò VII stellas præferentis; insignis. Hos tres Deos Suecorum populus mirâ affectione venerabatur; sed diversâ

dam sublimes & planos, non longè distantes ab urbe & à loco Deorum præfato translata, ubi etiam posteà multo decursu temporum Reges residere consueverunt; qui locus nunc antiqua Vbsalia vocatur, ob translationem sedis Archiepiscopalis; sed antiquior est illa, quæ nunc Vbsalia dicitur, & ubi nunc Archiepiscopalis sedes floret; Metropolisque Vbsaliensis. Nam fide tandem cathotica in Regno firmatâ, fundandæ cathedralis Ecclesiæ electus est locus in collibus illis, ad quos, ut præmittitur, translata jam fuerat sedes Regia; Sed in loco illo famoso & celebri, ubi trium Deorum cultus & templum sub gentilitatis decursu floruerat, exstirpatâ & eliminatâ omni idololatriæ spurcitie, ædificata est Ecclesia beatissimæ Trinitatis. Sic ex iniquo principio salubris conflata est religio! Hæc revera mutatio dexteræ Excelsi, & à Domino factum est istud quod est mirabile in oculis nostris. Vbi enim abundavit iniquitas & delictum, superabundavit gratia & clementia Salvatoris.

Ac locus iste, caput videlicet totius Sueticæ nationis, quamvis à primordio gentis illius, aut saltem postquàm idololatria per mundum invaluit universum, præfatorum trium simulachrorum fuerit superstitione fœdatus; à Domino tamen singulariter credendum est, esse illum electum ad æternæ Trinitatis gloriam, & in confessionem veræ fidei agnoscendam, verique omnipotentis Dei unitatem in majestatis potentia adorandam. Ait enim Deus per Prophetam: Repleta est terra idolis, opus manuum suarum adoraverunt, opus quod fecerunt digiti eorum; sed erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium & ibunt populi multi & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas. In illa die projiciet homo idola argenti, & simulachra auri sui quæ fecerat sibi ut adoraret.

Subsequentis autem opusculi sive compendii circa hoc versatur intentio; ut regni Suecorum & Gothorum aliqualis in scripto pingatur dispositio; & ad hæc nostra tempora in principatum successio. Verùm quia superius est expressum, authore Deo ecclesiasticam Hierarchiam duplici principatu, terreno videlicet & ecclesiastico gubernari, & locum quendam in regno Suecorum esse famosum Vbsala vocatum, à Domino, ut apparet, electum ac in Regni solium atque Me-

tropolim à Deo & hominibus ordinatum, apud quem uterq; gladius, duplexque principatus & originaliter & principaliter exerceretur, ut ex ore sedentis in throno Monarchiæ mundalis, hujus duplicis potestatis officio, industriâ & ministerio, ad dissipandum omne malũ procedat gladius bis acutus, ideo non est hujus operis omniũ Regum & Principum, qui à primordio incolatus hujus regni gubarnacula regenda susceperunt; nec omnium Episcoporũ qui Gothicam sive Suecicam Ecclesiam rexerant gesta annotare; Sed eorum duntaxat principaliter Regum, qui ex electione vel successione jus sibi regnandi acciverant, & apud Vbsaliam regalis residentiæ curiam, sedemque tenuerant, eorumque præcipuè, qui, postquàm regnum ad principatum Monarchicum devenerat, Reipub. præsidebant. Et pariformiter quantùm ad Ecclesiasticum principatum præsentis est propositi, Archiepiscoporum & eorum qui eos in eadem sede præcesserant Episcoporum facere mentionem, qui Metropolim rexerant Vbsalensem.

Quia vero gens ipsa Gothorum dispari conditione incolatum sibi fundavit in terris; pars enim statuit in terra nativa, vel quam primum in sortem accepit, consistere; pars autem altera elegit per climata mundi multa vagari, & multis nationibus subactis, in diversis mundi partibus sedes & habitacula collocare, non est præsentis opusculi intentio de his qui egressi de regno, nationes alias turbaverunt, bellicis congressibus fatigarunt, & à suis sedibus ejicientes pro eis regnaverunt, narrare; quamvis & ipsi post fidem Christi susceptam, Ecclesiam defenderint, fidem provexerint, hæreticosque fugaverint, Eorum enim actus & gesta magnifica, tanquam vivaci digna memoriâ, nulla potuit exacti temporis vetustas delere, cum ea multorum scribentium fidelis ad posteros transmiserit authoritas. Restat ergo ut patria ipsa regnumque Gothorum, & Suecorum quale in sui dispositione fuerit, quibusque & qualibus Regibus in solo paterno gubernatum, & rectum hactenùs extiterit, describatur.

Est regio quædam Europæ SVECIA vocata, in laterib. aquilonis situata, verè dextera Domini plantata, variisque donorum Dei muneribus insignita. Est enim terra ipsa frugifera, fertilis & fœcunda, frumento, siligine & annona, cæterisque quæ ex terra gigni consueverant, & humanis usibus

usibus inserviunt abundans. Habet & terra illa mineras multiplicium metallorum, argenti, cupri, plumbi & ferri, quæ continuè & in multa abundantia ac pondere ad terras alias, maximè Alemanniam deportantur. Creditur enim quòd civitas Lubecensis ex his Sueonum mercimoniis, ad tantam divitiarum gloriam & potentiam sit promota, cùm Sueci ob defectum salis & vini, & quarundam rerum voluptatis caussa comparandarum, ad littora Lubecensium necesse habeant navigare. Est & Suecia abundans in pascuis, pratis, & paludibus ac nemoribus graminosis, propter quod etiàm abundat in pecoribus & armento, ac per hoc lacte, caseo & butyro, ut in his & sibi sufficiat, & alias regiones alat & foveat. Sunt etiam illic viridaria & fructus arborum copiosi, illicque sylvę multarum avium venaticarum habitationibus aptæ; Illic feræ quibus vesci licitum est, in humanas delicias à divina munificentia præparatæ; Illic & bestiæ nobilium pellium vellere tectæ, sunt in magna multitudine & copia, quarum pelles pro foderatura aptissimæ; Illic aquæ & stagna latissima, & piscibus plena ac navigationibus apta, quibus rectò mercimonia inter civitates regni deferuntur & communicantur. Illic flumina & torrentes, qui & ipsi piscibus sunt repleti, & ad molendina pro comminuendis frumentis & fructibus deputati. Præter autem innumera quasi stagna, piscaturas & flumina, præterque mare salsum, Balticum scilicet, quod pro majori parte sua attinet huic regno, habet Suecia tres aquas famosas & magnas, multas habentes in circuitu civitates, multasq; in medio insulas, diversis possidentiū usibus servientes.

Regnum verò istud quasi quadrilaterum, habet in longitudine ducenta milliaria Gothica sive Alemannica, & in latitudine similiter: Termini ejus secundum latitudinem sunt Russia ad orientem, ad occidentem verò oceanus Britannicus, quantùm ad partes regni australes: Norvegia verò quoad partes ipsius boreales: Sed termini longitudinis ejus in austro, est medium maris Baltici inter Gotlandiam & Prussiam; ad aquilonem desumptâ pertingentiâ usque ad sinum oceani, inter insulas Norvegiæ ad Russiam usque protensum. Hæc regio tàm magna & maribus spaciosa, quinque quondam regnis particularibus distinguebatur, & quinque regibus famosis & potentibus regebatur.

Primum regnum ejus & Russiæ proximum erat Finlandia, cum adjunctis sibi regionibus, quæ sunt: Tavastia, Carelia, Lapponia, Nylandia, Ostrobotnia & Alandia, cæterisque minoribus Districtib. & Contractis, inter Russiæ confinia & sinum maris Baltici ab austro in aquilonem protensis.

Secundum Regnum erat Helsingia, cum regionib. in Norlandiis sibi conjunctis, quæ sunt: Angermannia, Norbotnia, Medelpadia & Gestricia, quas regiones fluvius Elff distinguit à Succia.

Tertium regnum erat Suecia, continens in se Vplandiam cum trib. Folchlandiis, & Vesmanniam, Sudermanniam ac Nericiam, cum multis regionib. insularibus & Contractis; Et hoc erat regnum principale totius Gothicæ nationis, cujus rex dicebatur Rex Sueciæ, vel Rex Vbsalensis; Sicut de rege Ring legitur, eò quod hæc portio quasi sol in medio planetarum, centralis esset & media totius Gothicæ Monarchiæ.

Quartum erat regnum Gothorum, cæteris antiquius & nomen sibi retinens generale, continens in se Ostrogothiam & VVestrogothiam, atque Verendiam, Oelandiam & Smalandiam, latas quidem & amplissimas regiones.

Quintum Regnum erat VVermelandia cum VVesterdalia & Oesterdalia ac confiniis earum.

Egressi verò de Scythia gentes quondam stirpis & posteritatis Iaphet, & hanc regionem ingressæ, Scythiam eam nominaverunt, tanquam dignam patriæ, primitivæ vocabulo, & processu temporis Sueciam appellarunt, sicut gens illa nunquam contenta idiomate suo, semper in melius proficit vel pejus. Sed ad aliquam differentiam inter hanc & Scythiam, Sueciam suam Mesiam, quasi minorem Scythiam vocaverunt. Gentes autem istæ, nescio quo eventu aut cognatione vocatæ sunt Getæ, ac per hoc post hujus regionis introitum Massagetæ; Deinceps verò mutato, ut assolet, nomine, qui prius dicti Getæ, sunt postmodum Gothi vocati, & nihilominus Sueci ob vocabulum regionis. Verùm cum processu temporis quinque regna prædicta in duo tandem regna, & in duos essent redacta regios principatus, unum Sueciæ, alterum Gothorum Regnum extat nominatum. Sed & usque hodie omnibus his regionibus in unum contractis monarchicum

prin-

principatum, Rex pro tempore duplici sub titulo se regem nominat Sueciæ & Gothorum. Vnde quidam nomen regionis hoc modo interpretantur & scribunt: Zwerijke / hoc est duo regna. Cui concordare dicunt, quòd civitas principalis Suitensium, quæ se à Suecis sive Gothis devenisse fatetur, vocatur Zwerijk / id est, duo Regna, & latinè Turegum; Qui & ipsi similiter se diviserunt in duo regna, alterum quod ad orientem tendit vocantes Osterijke / alterum quod ad occidentem vergit Sueviam, quasi Sueciam nominantes. Nota, S. Olaus dicitur fugisse ad Ducem Austriæ, quià fugit ad Regem Russiæ.

Sicut autem populus Israël antequàm reges acciperet à judicib. regebatur, sic & ista gens Gothorum non statim à principio reges habebat, sed aliquamdiu viris alicujus eminentiæ in agendo ducebatur. Erant enim gigantes in terra, viri potentes & famosi à seculo, qui corporis elegantia vel virium potentiâ, vel utroque cæteris præeminebant, & hi sibi aliquid dominij vendicabant, sicut Nimrot robustus venator coram Domino. Erant item & alij consiliis & prudentia vigentes, & aliis in agendis suis consiliis diligentiores, ut & ipsi sibi nomen facerent sicut gigantes, qui gesta sua charactere quodam litterarum lapidibus inscribebant, eoque tempore magnificis actibus & prudentibus responsis ac consiliis studebatur. Insuper & ars magica multùm vigebat in terra, cujus artis professores multa miranda & terrifica facientes, & alios ad stuporem vertentes, etiam ipsi amplo honore habiti sunt. Sed & sacerdotes idolorum gerebant in populo principatum. Crevit autem intereà populus Gothorum, & mirum in modum multiplicatus, extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumina & propagines eorum. Creverunt enim Gothi, & quasi germinantes multiplicati sunt ac roborati nimis, impleveruntque terram, nec poterat eos capere terra ut habitarent simul: Erat quippe summa eorum multitudo, & non quiebant habitare communiter. Continuè ergò dilatabatur & extendebatur eorum habitatio, sicut in numero populus augebatur, & tanquam ex alveario examina apum, in remota deinde & distantia loca diffusi, terras circumpositas occupare cæperunt. Vnde factum est ut Scania, Selandia, Lalandia, Fyonia, Möön & Falster, de posteri-

steritate & sanguine Gothorum incolis replerentur, & post multa temporum curricula potentiores in eis obtinuerunt regnum, unusquisque in suo loco, & imposuerunt sibi diademata, & filij eorum post eos annis multis.

Regalis verò potentiæ successio in regno Sueciæ sive Gothorum, difficulter aliquo ordine certo deducta, & raro scripturæ autenticæ invenitur testimonio comprobata, saltem usque ad ea tempora, quibus Christianæ professionis in terra illa fundata est religio: Quod quidem multis & diversis ex causis contigisse ratio ipsa demonstrat. Fuerunt enim viri paucissimi in conscribendis rebus hujusmodi diligentes, qui ea curarent styli diligentiâ humanæ memoriæ commendare. Sed quæ in exteris nationib. per Gothos sunt gesta, multis viris famosis & autenticis scribentibus, sic memoriis hominum sunt infixa, ut nullo temporum defluxu possint in oblivionem dari, propter multam aliarum nationum diligentiam in scribendo. Alia caussa est, quòd etsi diligenter quæque scripta fuerint, ac ab avis & proavis multo eatenus studio conservata, & quasi hæreditario ad hæredes & successores transmissa; Ad talium tamen tandem hæredum manus devenerunt, qui consilia seniorum, actus & gesta minimè curantes, nihilque virtutis & prudentiæ sapientis, juniorum consiliis ut Roboam adhærentes, preciosa deposita quasi puerilia quædam, & alphabetica scripta ad manus dedêre servorum, & inter pueros & Ribaldos dispergi, & conculcari fecerunt. A longis enim retroactis temporibus cæperunt Gothi, maximè nobiles & potentes, commessationibus & ebrietatibus vehementissimè inservire. Tertia denique quòd exacto sanguine regio, aut prævalente discordiâ, cùm Reges aliunde cæpissent, illi occasione acceptâ, ut gentis nobilitatem redigerent ad occasum, & nomen Regium à sanguine Gothorum auferrent, per subordinatos viros industrios, genealogias ubicunque repertas, subdolâ calliditate sibi tradi procurantes, omnem penè regiam propinquitatem in oblivionem duxerunt. Vltima, quòd propter nimiam amplitudinem Gothicæ nationis, in multos erat regio divisa principatus, multique per regionem principabantur. Ac demùm ad duo regna principalia tota natione reducta, bellis se continuis fatigarunt, & nunc unus, nunc alius regium sibi titulum vendicabat, populusque sub-

ſubjectus in hac dubietate perplexus, nunc hunc, nunc illum recognovit pro Domino. Vnde difficilè videretur in ordinem ponerere, qui Reges ſecundum temporis gubernaſſent ſucceſſionem. Tùm etiam quia propter diſcordiam & controverſiam, quæ communiter in regno viguerat, & ſemper viget, & propter Regum ipſorum tyrannidem & inordinatum regimen, principatus fuerat ſæpiſſimè & multipliciter variatus, ipſiś aliquandò ejectis à regno, aliisque medio tempore ſubſtitutis, ac denique in illud prioribus revocatis. Eſt enim Gothorum genus ambitioſum & avidum exaltari, ſed ad regendum plerumque ineptum, ac Iudaicæ diſſenſionis, & Romanæ partialitatis ſimilimum; ideoque ſimilib. cum eis incommodis miſerabiliter regnum conquaſſatum à principio, cùm multum abundabat in populo, ut terra proprio ſuo habitatore repleta, gentem ſuam per multas diſtribueret nationes. Sed propter diſſenſiones & controverſias, ac bella continuò inteſtina, ſic exhauſerat vires ſuas & populum, ut pro magna parte ab exteris regio habitaretur: hoc eſt enim diſſenſionis & controverſiæ ſtipendium, is ambitionis effectus.

Iam verò chronicon regni Gothorum utrumque ſcripturus, & qui Archiepiſcopi Vpſalenſem Metropolim rexerunt cum Regib. illic præſidentibus, vel brevi relatu dicturus, exordium narrandi à Chriſti ſacerdotis & regis nativitate ex Virgine ſumendum inſtitui, prout Rex regum & ſacerdos me imbecillem de utroque principatu ſcribentem dignabitur illuſtrare. Quamvis enim multi reges in regno ipſo tempora illa præceſſerant, qui à temporibus Zaruch proavi Abrahæ patriarchæ, & ultra ſumpſiſſe narrantur initium; de his tamen qui Chriſti nativitatem præceſſerant, modicum aut nihil judico tangendum; tum quia gentilitatis errore detenti, ea quæ geſſerunt, etſi fortè aliqua magnifica & præclara, non tamen ſecundum ſcientiam, nec in magna parte fidelibus reliquerant imitanda: cum etiam quia de geſtis eorum in chronicis authenticis parum fetmè notabile reperitur expreſſum tum denique ex cauſſis aliis alibi copioſiùs explicatis. Iuſtè igitur à tempore quo nato in Betlehem Domino Salvatore, tres Reges Orientales, poſteà ſacerdotes totius gentilitatis, in confeſſione & homagio nati Regis Monarchiæ primitivę,

velut mundi specialis mysticis muneribus honorantes, ut Deum & sacerdotem & regem, utpote in quo principatus omnis erat congesta conditio, cognoverunt, tanquam ab anno Salutis primo secuturæ narrationis sumatur initium.

I. *Ericus* Cùm itaque venisset temporis plenitudo, & apparuisset in carne à quo est omnis potestas, qui tempora mutat & regna, emissoque à Cæsare Augusto qui mundum describeret universum, ut nascituro Rege pacis pacem præviam, contractis in unam Monarchiam cunctis nationibus, prępararet, regnum Sueciæ Ericum cognomine Disertum accepit regem, virum miræ sagacitatis & prudentiæ singularis, armorum potentiâ præpollentem, & nimiâ strenuitate vigentem; Cujus gesta mirifica in regnis aquilonaribus, etiam ante adeptam regiam dignitatem commissa feruntur à multis, cujus in regnum talis à quibusdam narratur ingressus: Cùm Rex Sueciæ Alricus, & Rex Gothorum Gestiblindus, diutina & longa concertatione se invicem fatigassent, & bellis prævalidis vires regnorum suorum pœnitus exhausissent, videns præfatus Gothorum Rex, quòd contra regem Sueciæ diutius se tueri non posset, simulque longæ ætatis senio prægravatus, sciens qui eundem Ericum armis potentem, militaris industriæ strenuitate vigentem, consiliis & industria præditum, regni Gothorum, quod eatenùs gubernaverat, moderamen eidem concessit; Qui igitur contra regem Sueciæ Alricum procedens ad bellum, eum cum filio interfecit, regnavitque pro eo, atque ita utriusque regni potitus imperio, eminentior aliis qui eum præcesserant esse cæpit. Hujus tempore gigas quidam Aringrim surrexit in Suecia, à quo petitus rex Ericus, ut ejus auxilio daretur sibi in conjugem filia regis Daciæ, non aliter Rex consensit, nisi ut priùs occideret duos reges, videlicet regem Biarmiæ & regem Finmarchiæ, quo facto & omni eorum substantiâ ad regem Ericum allata, quod petierat impetravit. Accepta enim filia Danorum regis in conjugem, genuit ex ea XII. filios qui facti sunt insignes piratæ. Dicitur verò in quibusdam chronicis aut chronicorum excerptis, vel potiùs quorundam voluntate confictis, quòd ante hunc Ericum Scania & Danorum insulæ fuissent incultæ, quodque ipse primus terras illas usui habitandi & habitabiles reddidisset, quod utique non est consonum veritati; Cùm enim

enim iste Ericus circa tempora Nativitatis Christi regni Suecorum gubernacula tenuerit, & juxta antiqua chronica tàm Suecia quàm Dacia, & omnis in circuitu regio, ante tempora Abrahæ Patriarchæ inhabitatæ fuerint, & tempore David regis Israël reges habere cœperint, quomodò conveniens esset, ut tempore hujus Erici Scania & Danorum insulæ primùm fuerint humanæ inhabitationi aptatæ? Sed & de Frotone Danorum rege dicitur, quòd hujus Erici tempore Angliam & Hyberniam suo domino subjugavit. Hic denique Rex cùm diu regnasset, senio multo confectus morte obiit naturali.

Post Ericum asserunt quidam regnasse pro eo filium suum Haldanum, qui cùm à XII. fratribus qui regnum Norvegiæ invaserant, & mari terraque latrocinia exercuerant, nimis impugnaretur, divertit in Russiam ad Fridlef filium regis Daciæ, qui tunc in partib. illis bella fovebat, rogans ut sibi auxilium ferret contra hostes suos eum de Norvegia infestantes, simulque nuncians ei patrem suum Frotonem mortuum esse, & regnum Daciæ à quodam Hiernone occupatum. Quibus auditis prædictus Friedlef, omnem obsidionem abinde dissolvit, & assumpto exercitu quem ducebat, cum Haldano in Norvegiam properabat, expugnatisque fratrib. illis, uterque in suum regnum cum victoria redibat; Asserunt alii post Ericum regnasse Gedericum, & hunc exisse cum exercitu & terras multas suo dominio subdidisse, ac apud exteros Theodoricum vocatum fuisse, & in ultimo senio vitam in Suecia finivisse. Ac primum quidem credi potest hoc modo, ut horum duorum unus immediatè post Ericum, alius rexerit mediatè, aut ambo simul rexerint, ita ut alter in patria Rempub. gubernaret, alter exercitum duceret ad nationes extraneas subigendas. Sed cùm non inveniatur expressum post Christi adventum, terras alias Gothorum inundatione deletas, priusquàm sub Valeriani & Gallieni Augustorum imperio, qui regnabant circa annos Domini CCL. vel circiter, quo tempore Gothi Græciam hostiliter invaserunt, difficulter videtur intelligi, quomodò memoratus Erici successor, vel tàm vicinus in regno hunc exercitum eduxisset à Suecia, nisi dicetur quòd antequam partes Græciæ attigisset, in locis & regnis intermediis multam moram traxisset, & interim Ge-

II. Haldanus.

III. Getericus.

derico

derico mortuo alter ei in ducendo exercitu successisset, vel juxta primæva tempora homines illi longævi fuissent; Quod verò idem Gedericus dictus fuerit Theodoricus, non videtur inconveniens si tali nomine apud exteros sit vocatus, qui nomina Gothorum propria difficulter capiunt, & in nomina apud eos consueta simili modo convertunt. Nec abs re est, si in ultimo senio ad patriam propriam sit reversus. Certum tamen est quod Theodoricus non fuit ipse rex Gothorum qui regnavit in Italia, cùm ille circa annos Domini CCCCLVIII. vel circiter Italiam sit ingressus, & multo deinceps tempore regni in ea tenuerit principatum, ibique defunctus sit.

IV. Philmer. Post hunc sublimatur in regnum vir ille fortissimus, armorum virtute præclarus & victor gloriosus Philimer Store, qui militaris industriæ experientissimus, utpote patris sui Gederici nutritus sub alis, & cum eo & sub eo exercitum qui egressus fuerat dirigens & deducens, sagacitate & probitate præpollens, viribus fortis & ingenio prædicandus, inter regem Sueciæ & gentes contra quas bellum susceperat currens sæpius & incurrens, qui cum pro majori vitæ suæ tempore bellorum negotiis intenderet in remotis regionibus, vacare non poterat Reipub. regendæ in patria, unde dicitur interim rex quidam Sivvardus Sueciam gubernasse.

V. Sivardus.

VI. Carolus. Carolus verò Gothorum rex creditus eo tempore extitisse, quorum duorum regum filias filii regis Daciæ duxisse dicuntur uxores, Nam Olaus Vlvildam Sivardi regis filiam, & Haraldus Signillam Gothorum regis filiam accepit uxorem. Quod verò quidam de hoc Philemero referant, quod Vezorem regē AEgypti vicerit & regnum suum sibi subjugaverit, id non est verum; Neq; n. Gothi qui de Suecia saltem eo tempore egressi sunt transiverunt in AEgiptum, neque historia illa de bello Gothorum adversus Vexorem, & eorum transitu in AEgiptum, ad hæc tempora de quibus hic agitur, respicit aut refertur. Scribit de his quidam Orosius in hæc verba: Getæ qui nunc Gothi, quos Alexander vitandos pronunciavit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar etiam declinavit, vacuefactis sedibus suis Romanas ingressi sunt provincias: post pauca subjungens: Quorum fœminæ majorem terrarum partem immensis cædibus deleverunt: Et idem Orosius sic: Anno

ante

ante Vrbem conditam CCCLXXX. Vexores rex AEgipti, meridiem & septentrionem divisas pene toto cœlo & pelago plagas, aut miscere bello aut regno suo volens jungere, Schytis bellum indixit, missis prius legatis qui hostibus parendi leges dicerent; Ad quæ Schytæ legatis responderunt, stolidè opulentissimum regem adversus inopes sumpsisse bellum, quod timendum ipsi magis versâ vice foret, propter incertos belli eventus, nulla præmia sed damna manifesta; Porrò sibi non expectandum ut ad se veniatur, sed ultrò obviam prodituros: Nec mora cum dictis facta respondent; Primo siquidem ipsum vexorem territum refugere in regnum cogunt; destitutum deindè exercitum invadunt, omnemque belli apparatum capessunt; & universam AEgyptum, nisi paludibus impediti repellerentur populavissent, inde continuo reversi perdomitam infinitis cædibus Asiam vectigalem fecêre, ubi per quindecim annos sine pace immorati, tandem uxorum flagitatione revocantur, denunciantium ni redeant sobolem se à finitimis quæsituras. Scribit & alia de Gothis quamplurima, & quæ ante adventum Christi in carnem, & quæ posteà per eos sunt facta; Sed & de Gothorum gestis & eorum gente divisa, omnes pene libri chronici sunt repleti, Gothicè scribente Ablabio, Græcè Dionysio, Iordane Roderico Toletano, Leonardo, aliisque quamplurimis (qui scribendis annalibus diligentissimum studium impenderunt) latino sermone.

Sed hæc omnia à præsentis opusculi compendio tanquàm aliena seposita sint, ea duntaxat quæ per Reges post Christi adventum patriam gubernantes, gesta sunt narrari debent; Hoc solum tetigisse sufficiat, quod quanto erant Gothi Romano imperio graviores, (nullius quippe gentis impetum tantum timuit Romana potentia) tanto erant, cognitâ Christianæ religionis veritate, & Romani principatus justitiâ, in defendenda fide catholica, inque tuenda repub. promptiores, & pacis studiosissimi sectatores, Gothorum vires suumque periculum ad expugnandas omnes gentes adversarias Romanæ societati familiarissimè offerentes, & sibi quidem pugnantes, sed imperio Romano vincentes.

VII. Nordian. Philimero autem defuncto, dicitur post eum Nordian filius suus suscepisse regnum, sed brevi admodum tempore re-

regnasse. Nam cognitâ morte Philimeri, Hernith Ruthenorum Rex ab eodem Philimero subactus, resumptis virib. & vindicandi animo instigatus, Regnum Gothorum invasit, & regem nativum in Danorum insulas detrusit. Hoc verò faciendi vires sibi ministraverat inopia bellatorum, quibus erat filius Philimeri destitutus; cum Gedericus & post eum Philimerus, terras alienas & exteras debellaturi, omne robur exercitus virosque bellatores, fundibularios, sagittarios; arcuque sagittas mittentes (quo bellandi genere Gothi erant doctissimi) à patria eduxissent, & omnem robustam juventutem ad invadendum regna remota, suis persuasionibus ut victores fierent induxissent, vacue factis suis sedibus viam dabat suis hostibus subintrandi, & incolas incautos & inermes pacis diututnitate fidentes, & nihil adversi suspicantes incursione subitâ opprimendi.

VIII. *Hernith.* Hac igitur occasione regnum Succorum ad manus alienigenæ regis Ruthenorum abductum, multa guerrarum & partialitatis divisione laborabat; Rege enim nativo privatum & manu hostili & tyrannica supplantatum, cæpit tanquam in seipsum divisum multipliciter dissipari. Nam Rex illeRuthenorum Hernith, vel regno Ruthenorum diutius abesse non audens, vel regno Sueonum pacificè gaudere diffidens in Russiam revertitur, filii sui gubernationi regnum Succorum relinquens. Hernith autem præfati filius, ut ajunt, patris commissione & traditione regni Sueonum gubernationem suscepit, & à quodam gigante de Helsingia, ut quidam putant, vel ut aliis videtur, ex his quos rex Gothorum habebat occisus est. Circa hæc tempora Eginus rex Gothorum, nepos Haldani regis Daciæ, ipso Haldano defuncto in regem Danorum assumitur, quo occiso à quodam hoste suo Ragvaldo, filius suus Sigvaldus in regem Daciæ sublimatur, qui triumphat contra patris sui occisorem, decedens filium Sigarum post se regni Danorum reliquit hæredem. Ista ex chronicis Danorum.

IX. *Ingo I.* Post hoc unanimi Sueonũ Gothorumq; consensu & electione concordi, Ingo regni diadema suscepit. Hunc verò Ingonẽ quidam asserunt Philimeri filium extitisse, quod quidem inconvenienter non videtur assertum. Potuit enim taliter accidisse, ut Nordian qui ei immediatè in regno successit, ejus fuerit

fuerit primogenitus, aut inter primos filios ejus in ætate genitus juvenili; Ingo verò inter ultimos & in senectute progenitus, cui forsitan administrandi belli pater negotia commisisset; dùm ipse grandi confectus senio in patriam moriturus se contulisset; Estque verisimile quòd cùm regnum multiplici guerrarum incommodo turbaretur, Optimates regni cum populo, ipsum de transmarinis partibus, ubi tunc bella fovebat, adduxerint & in regni solium sublimaverint. Huic Ingoni jam in monarchicum Gothorum principatum assumpto, plebs universa cum principibus apud Vbsaliam regale solium præparabat, & irrefragabili decreto constituit, ut caput & sedes regni non alibi quam Vbsaliæ haberetur, eò quod illic templum Deorum magnificum, locusque & ritus sacrificandi institutus existeret, ad quem statutis temporibus consuevit universa patria convenire. Ingo duos filios dicitur habuisse, Nearcum & Frothonem, qui ambo asseruntur post 10. & patrem regni totius imperium tenuisse, quos etiam tota eo- 11. rum posteritas pari cum Diis veneratione creditur coluisse; *Nearcus &* Verum Frotho fratri supervivens solus regni gubernacula administravit, justitiæ zelator & pacis amator non sinebat in *Frotho.* regno aliquid per violentiam usurpari.

Post hunc regnavit Vrbar qui tres habuisse filios dicitur, 12. Osten/ Nere & Dan/ cum quibus ita suum divisit imperium, *Vrbar.* ut Osten Sueciam, Nore Norvegiam, Dan verò Daciam gubernaret.

Mortuo rege Vrbar, successit ei in regno Sueciæ Osten 13. filius suus, in regno verò Norvegiæ Nore, quem quia Norici *Oestanus.* occiderunt, Rex Osten in sempiternum opprobrium præfecit eis in regem canem quendam, præcipiens sub pœna internecionis membrorum singulorum, ut ordine quem eis instituerent servirent huic comedenti & quaqua versum discurenti.

Huic successit Svolm quem scribunt quidam sed vitiosè 14. *Svolmus.* Salm / qui à suis in dolio medonis dicitur fuisse demersus.

Post hunc dicunt regnasse Suercherum filium ejus, qui 15. manum projiciens in petram dicitur non extraxisse, quod *Suercherus.* omnin creditur fabulosum.

Suercheri filius Valander patri successit in regno, qui in 16. somno à Dæmonio suffocatus interiit, quod genus Sueco *Valander.* nomine Mara dicitur.

Valan-

Valander præfatus reliquit filium qui dictus est Visbur,
17. Visbur. qui in regno successit eidem: Hunc filij sui cum omni familia sua inclusum igne adhibito concremarunt, ut ad percipiendam hæreditatem pervenirent citiùs.

18 Domalder. Huic in regno substitutus est filius suus Domalder, quem incolæ deæ Cereri hostiam obtulerunt ut frugum fertilitate potirentur.

19. Domarus. Post hunc regnavit filius suus Domar, qui pacificè regnans in Succia vitam finivit.

20. Attila. Indè regnasse narratur Attila, qui multa magnifica gessisse fertur, Danosque rebellantes ad suum dominium revocavit, quibus in memoriam rebellionis canem quendam præfecit imponens ei nomen Raccha; qui postea morsib. canum interiit: Deindè præfecit eis gigantem quendam Saar vocatum quo mortuo dedit eis in regem servum illius Snio nominatum, quem quod esset tyrannus efferus, referunt pediculis esse consumptum à naribus ejus egressis.

21. Dignerus. Post hunc regnavit Digner; qui in Suecia accepit finem vitæ morte naturali.

22 Dagerus. Huic successit in regno Dagerus filius ejus, hic cum à Danis tributa vellet armata manu exigere, & quasdam injurias vindicare, in quodam vado quod ab eventu Wapnuadh dicitur, ab eis occisus est.

Dagerus reliquit post se filios duos, nomen uni Alericus,
23. Alericus. nomen verò alteri Ericus: Alericus successit patri in regno, unde motus frater ejus, zeloque regnandi ductus fræno eum occidit.

24. Ingemarus. Successit Alerico filius ejus Ingemar; hunc uxor ejus suspendit in loco qui tunc Agnafit dictus erat, in quo nunc Stocholmia oppidum est fundatum, manibus ut dicitur propriis catenâ deauratâ in arbore aptata patibulo.

Post hunc regnavit filius ejus Ingellus, & hic à fratre suo
25. Ingellus. ob uxoris infamiam est occisus; quæ Bera nomen habebat.

26. Germunder. Successit post eum filius ejus Germunder qui cum Danos debellasset, & jam quasi securus fidelitatis eorum, inter eos pacificè conversari cæpisset remissis Suecis in patriam, à Danis suspensus est in loco quodam Odesund, in sinu quodam Daciæ quem Limosund appellant indigenæ.

De

Defuncto Germundo suscepit regnum Haquinus filius ejus qui dictus est Ring, & communiter scribitur Rex Vpsalensis. Hic post truculentum conflictum & obtentam victoriam contra Haraldum regem Danorum, in regem Daciæ in loco certaminis est assumptus. Postquam enim Dani occiso, ut præmittebatur, tam ignominiosè patre ejus, quendam Haraldum regem sibi fecissent, duo hi reges indicto sibi mutuo bello, septem annis præparantur ad prælium, infinitâ multitudine bellatorum hinc inde ad illud congregatâ. Nam rex Haquinus aliàs Ring Suecorum & Gothorum virtute collectâ, Noricos & Gotlandenses assumpsit. Haraldus verò Danis collectis Saxones & Slavos ac Frisones sibi associavit, sicque in Verendia in loco designato qui dicitur Bravvallaheedh, uterque cum suo consedit exercitu. Tunc prior Haraldus surgens altâ voce bellatores suos provocavit ad pugnam, ac inter eos, ut dicitur, talia verba profudit: O viri nobiles & multâ bellandi virtute conspicui, memores estote quam usque in diem præsentem victores esse consueveritis, & gloriosos de vestris hostibus reportare triumphos, nolite nunc tam gloriosum nomen amittere, & vestris inimicis famam tantæ celebritatis annuere: Apertè enim cognoscitis & videtis, quanta sit virium nostrarum potentia, & quanta sit virorum pugnatorum in nostra comitantia multitudo. Rex autem Haquinus non minori facundia animos suorum inflammavit ad bellum, nemini, inquiens, dubium esse poterit, quanto simus ad præsens pulsati dedecore, quantis damnis & injuriis excitati, quam justis caussis adversus Danos arma suscepimus, qui adversum nos superbiâ dominandi ducti, nos & regnum nostrum, filios & uxores perpetuæ satagunt subjicere servituti, propter quod urgentissimâ necessitate cogimur diros inter nos inire conflictus. Vt ergò ardentib. animis ad nostras profligandas injurias unanimes insurgamus, & ingens cogit necessitas & justus impellit dolor. Post hæc buccinis concrepabant, & cum tanto fragore & armorum strepitu inivère conflictum, ut cælum & terra tremere viderentur. Ex pulvere autem commoto & sagittarum turbine, obscuratus est aër, ut dies in noctem putaretur conversus. Habebant autem Sueci arcus tam rigidos & tela peracuta, ut nulla eis possent obsistere loricarum præsidia, aut munimenta armorum,

27. Haquinus Ring

 rum,

rum. Vnde ruente vehementer Danorum exercitu, murmur & turbatio magna in eo facta est, quòd audiens rex Haraldus quæsivit quidnam hoc esset, tunc turbatus auriga suus ejecit eum de curru, & acceptâ de manibus ejus clavâ, percussit eum & mortuus est. Dignoscens ergo Haquinus quòd Haraldus occubuisset, insonuit buccina & stetit omnis exercitus, nec ultra inivit certamen. Dicuntur autem cæsa hoc certamine XII. millia Sueonum. De parte verò adversa duplum, videlicet XXIV. millia. In illa die factâ concordiâ & pace, rex Haquinus Ring in regem Daciæ concorditer est assumptus. Tunc jussit corpus regis Haraldi inter corpora defunctorum exquiri, & in navicula poni & comburi, cunctis nobilibus præsentib. circumeuntibus in fletu & ululatu, ac deinde cineres colligi mandat atque in urna reponi, honoreque regio sepeliri, quo opere animos Danorum multâ sanè benevolentiâ sibi devinxit. Post hæc Daci rogabant regem Haquinum, ut Hetham virginem quæ vexillifera fuerat, eis concederet regni Daciæ gubernatricem, quod & fecit. Sed Scaniam Dacis auferens regno Sueciæ copulavit. Præfecit autem Scaniæ quendam Olonem regem vel principem Norvegiæ, eò quòd sororius esset; Dani verò Hetham aspernati eundem Olonem assumpserunt in regem, & Scaniam cum eo regni Daciæ finibus adjecerunt. Olo deinde Rex Danorum effectus, Hetham regno privans solam eilutiã sub annuo censu concessit. Ideò XIII. viri nobiles superiores in Dacia, cuidam pugili Starkoter nomine, CXXX. talenta auri promiserunt ut regem Olonem occideret, & ita factum est.

28. *Egillus.* Haquino Ring successit filius ejus Egil, cognomento Vendelkraka / hujus servus contra regem insurgens, ejecit è regno, & octo bella civilia adversus eum agens, in omnibus potitus est victoriâ, in nono verò occisus occubuit, & paulò post ipsum regem truculentus taurus confodiens trucidavit.

29. *Gotharus.* Egil sublatus è medio filium suum Regni reliquit hæredem, qui Otharus vel Gotharus est dictus; Erat eo tempore Rex quidam in Dacia Sivar nomine, qui duas habebat sorores admodum speciosas: Misit ergo rex Sueciæ Otharus servum suum Obbonem ad regem Danorum, ut alteram sororem daret sibi uxorem, quâ impetratâ reversus est Obbo ad regem Sueciæ, & iterum ab eo cum comitiva honesta di-

rectus in Daciam, ut sororem Regis sibi desponsandam afferret. Cum verò venisset in Hallandiam, & à quodam esset acceptus hospitio, fraude hospitis sui viros qui eum fuerunt comitati amisit, ipseque cum difficultate evasit: Cum hæc itaque audisset Rex Otharus, putans hoc consilio regis Sivardi factum fuisse, collecto exercitu contra eum processit ad bellum, in quo fugatus Sivardus Scaniam & Hallandiam amisit, fugiensque in Iutiam à Sclavis bello excipitur. Dicitur autem Otharus iste à suo æquivoco Otharo Danorum Comite, & à fratre proprio Fasto nomine interemptus.

Post Otharum filius suus Adelus gubernacula regni adeptus, qui dum ad sacrificia Idolorum venisset, ante templum Dianæ equo lapsus interiit. 30. *Adelus.*

Huic successit in regno filius suus Østen / quem æmuli sui unius cognationis, cum omni sua familia cuidam domui includentes, igne adhibito combusserunt. 31. *Ostanus.*

Post Østen regnavit filius ejus Ingemar, qui post multa gesta magnifica & victorias, postque Daciam subactam, in expeditione occisus est in quadam insula Baltici maris, quæ ab incolis dicitur Lagenö. 32. *Ingemarus.*

Ingemaro rebus humanis exempto, regnum Brautemundus filius suus consequitur, cujus promotioni frater ejus Sivardus invidens, occidit eum in Nericia in loco quodam, qui dicitur campus cœli aliàs Höghahedh: Post hunc Ingeldus filius Brautemundi sublimatus est in regem, qui auditâ tyrannide, potentiâ, crudelitateque cujusdam regis Ivari dicti Widfaren / timore nimio consternatus, seipsum in cænaculo cum omni comitatu inclusum facit incendi. Nota autem ex æquivoca Danorum historia, quòd Regnerus Daciæ rex duxit in uxorem filiam regis Sueciæ Thoram nomine, & genuit ex ea VI. filios, quorum unum Beörn procuravit fieri regem Sueciæ, alium Ivarum regem Daciæ; Pater autem eorum pugnabat in Anglia & Hybernia, ubi traditus est vivus serpentibus devorandus: Bero igitur præfatus creditur regnasse in Biörköö / eo tempore quo ibi prædicavit S. Ansgarius, & convertit Erigarium cum multis aliis anno Domini DCCCXLV. 33. *Brautemūdus.* 34. *Ingeldus.*

Olaus cognomento Tretellia filius Ingelli, patre mortuo regnum regendum suscepit, multoque tempore & tranquilla pace 36. *Olaus Tretelia.*

pace regnum Sueciæ gubernans tandem in senectute bona plenusque dierum Vbsaliæ moritur & honorificè sepelitur. Olaus Tretillia duos filios post se reliquit, primus erat Haldanus cognomine Hwijtbeen / quem de Suecia venientem Norvægienses in montanis regem sibi constituunt, de quo Regum posteritas in Norvægia est exorta.

36. Ingo II. Secundus erat Ingo qui post patrem regnavit in Suecia, iste accepit filiam Regnerii Lodbrock in uxorem, genuitque ex ea filium nomine Ericum Wädher hatt.

37. Ericus Wädherhat. Post Ingonem regnavit Ericus filius ejus pro eo, qui Ericus dictus est Wädherhatt/ eò quod ventum optatum requirens, immolando idolis quoquo versum pileum suum vertebat, inde ventum accepit ad placitum, hicque vitam naturali morte finivit in Suecia. Hinc regnasse referunt quendam Amundum Slemma, qui metas posuisse dicitur inter Sueciam & Scaniam. Sed post hæc pœnitentiâ ductus intravit Scaniam cum exercitu, quod audiens Canutus Rex Daciæ dictus dives in Anglia existens, misit generum suum Vlf Sprakaläggh / belloque commisso cecidit Amundus in ponte quodam Scaniæ qui Stongapelle dicitur. Hunc autem alii ponunt post Amundum Kolebrennare & tertium regem Christianum, hocque verius & clarum est ex tempore illius Canuti & generi sui Sprakaleggh de quibus alias infra.

39. Ericus Victoriosus. Posthæc regnavit Ericus cognomento Segherfäll / eò quod victoriosus esset & multum prosperaretur in reb. bellicis, unde dicitur sibi subjugasse Livoniam, Estoniam, Careliam, Finlandiam & suo tempore tenuisse, qui nihilominus vitam finivit in Suecia. Hic cum exercitu intravit Scaniam contra regem Daciæ Suenonem pugnaturus, in quo bello Sueno succubuit, & Ericus Scaniam Daciamque occupavit: Sueno verò fugiens à facie ejus intravit Norvegiam, sed non receptus à rege fugit in Angliam, ubi minus bene susceptus divertit in Scotiam, illic septennio exulavit. Tandē in se reversus & pœnitentiam agens, quod patrē suum ejecisset à regno, eò quod Christianus esset, & quia fidē Christi complexus dilatasset. Audito autē quòd rex Sueciæ Ericus mortuus esset, reversus est in Daciam & benignè susceptus, suadensq; nobilibus de Deo occultè, apertè, non audens, non profecit antequā Poppo Diaconus coram eo & populo ferrū candens portasset.

Suc-

Successit Erico filius suus quem alii vocant Ericum Ar- 39.
säll / alij Stenchillum primum, ipse fuit pater Olai Skotke- *Ericus*
nung / & primus rex Christianus in Suecia, quod hac occasio- Arsäl.
ne dicitur contigisse: Cum sacerdos quidam Idolorum in præsentia regis & multitudinis populi ex more sacrificia obtulisset, subitò cæcus effectus omnium præsentium animos convertit in stuporem. Prostratus ergò Diis quos coluit, & multimodè eorum implorans suffragia, nec aliquid remedii assecutus, (digitus enim Domini erat ibi) manibus suorum abducitur & in domum habitationis suæ recipitur nihil videns; Cum igitur nocte sequenti se sopori dedisset, mater illa clementiæ, mater Domini & misericordiæ misero laboranti apparuit, taliter eum alloquuta: Justè tibi quod pateris noveris accidisse, qui Dominum Majestatis abjeceras, servitium illi debitum Idolis impendendo, hic est Iesus Christus filius meus & Deus Christianorum; Nunc ergo si sanari desideras, in eum te credere velle promittas, & fidem ejus firmâ mente conserves. Promittit ille & lumen oculorum recipit, moxque consurgens pertransiit omnem in circuitu regionem, rem erga se gestam ex ordine narrans, & efficaci sermone persuadens ut spretâ culturâ Deorum, omnes se converterent ad Deum Christanorum, fortiorem & Diis aliis clementiorem, utpote qui in necessitatibus auxilium ferret, aliis Diis sæpe fallentibus & vel non valentibus, aut non volentibus suffragari. Hoc rumore percepto, Metropolitanus Bremensis vel rogatus à rege Stenkill per nuncios solennes intermedios, vel motu proprio & salutis animarum intuitu, misit ad regem Stenchillum duos Episcopos Adelvardum & Stephanum, viros doctos & gratiâ prædicationis insignes, qui cum applicuissent Sigtoniam ubi Rex ipse communiter morã traxit, à Rege benignè suscepti, amplo illic in honore sunt habiti. Et cũ Adalvardus Missam celebraret, oblatę sunt ei in una Missa LXX marcæ argenti. In brevi autem tempore omnem populum civitatis Sigtoniensis, quæ tunc sanè prægrandis civitas erat, omnemque in circuitu regionem ad fidem Catholicam convertebant. Similiter & in Biörkö, quę tum una magnarum civitatum & aliis antiquior habebatur. Tres enim eo tempore civitates famosæ & magnæ in hac regione fuerunt, videlicet Sigtonia, Scharia & Biörkö.

Tunc Adalvardus remanens circa partes Vplandenses, subvertit Idola quæ apud Vbsaliam in veneratione nimia habebantur, & prædicationi continuæ insistebat, atque secundum quosdam pro subversione Deorum, à populo regionis Vblandiæ dicitur interemptus; aliis dicentibus quòd longo senio & morte naturali defecerit, & in Biörtöö sepultus sit. Potuit autem esse quod persecutionem ab Vbsaliensibus passus, & fortè verberibus ac flagellis cæsus, partes illas superiores deseruerit, & apud Biörtö deinceps commoratus, ibidem finierit vitam temporalem. Stephanus autem in Helsingiam profectus, partes Norlandenses perambulasse refertur, & populum innumerabilem ad Dominum convertisse, ibidemque coronatum martyrio, ut quidam volunt, ad Dominum migravisse.

Rex itaque Stenkillus Christianus effectus, nitebatur Episcopos retrahere à subversione Deorum, asserens eos indubiè si id agerent occidendos, seque expellendum à regno, asserente populo quòd Deorum inimicos in regnum in eorum injuriam induxisset; Vnde tùm populo ad seditionem contra Episcopos concitato, dicitur Rex apostatasse à fide & populo consensisse, sed nihilominus fidei occasione occisus.

Nota hic quòd post adventum sanctorum. Sigfridi & Eschilli, ac post Olaum Stotkonung / quo tempore regnum totum dicitur conversum, facta fuit apostasia illa de qua agitur in Legenda S. Eschilli. Quare triumphato rege Ingone fidei defensore, elegerunt quendam Sueonem Idololatram, at post Olaum Stotkonung / licet, non immediatè, regnavit quidam Stenkij nepos ex ejus sorore. Et sic hæc quæ dicta sunt de Stenchillo hic superiùs, ad istum secundum Stenchillum videntur veriùs referenda; aut regnum nondum fuisse in toto conversum, vel ad apostasiam iterum redisse.

Ad cognoscenda verò tempora conversionis horum trium regnorum ad fidem, sunt ea ex chronico Danorum notanda; quòd sc. tempore Regis Daciæ Regneri, in ejus absentia elegerint Iuthones & Scanenses quendam Haraldum sibi & toti regno in regem; Quod audiens Regnerus, adjutorio regni Norvegiæ debellavit Haraldum semel & secundò, qui Haraldus destitutus auxilio, accessit imperatorem Ludovicum Caroli Magni filium Moguntiæ, petens ab eo auxilium; Imperator

rator igitur hac duntaxat conditione sibi promittit auxilium, ut se faciat baptizari.

Baptizatus est igitur Haraldus Moguntiæ, ab Imperatore de sacro fonte lavatus, cui imperator dedit exercitum de Alemannis sub patre suo conversis; Haraldus itaque cum Saxonibus intravit Daciam, ædificavitque Ecclesiam apud Sleswijk in loco qui dicitur Haddebott, & inhibuit omnem ritum idololatriæ agens pro fide fortiter, sed reversus Regnerus expugnavit Haraldum & idololatriam reparavit. Deinde Haraldus apostatavit à fide, videns se non posse temporaliter prosperari, nec ponitur in catalogo Regum Daciæ.

Post Regnerum in Dacia regnavit filius ejus Sivardus, nam Regnerus in Hybernia serpẽtibus expositis à rege Hella Christiano in Daciam cum Saxonibus misso, comestus interiit. Post Sivardum Ericus. Hi duo gentiles ac idololatræ fuerunt. Post Ericum regnavit Ericus quem convertit S. Ansgarius, & obiit Christianus, remanente tamen idololatria & gentilitate in regno. Post hunc Ericum regnavit Canutus, qui in juventute obiit in Anglia, nec dum fidem Christi adeptus. Post Canutum rexit Frotho, hic in Anglia baptizatus obiit Christianus; Reversus enim in Daciam, misit nuncios ad papam Agapitum, ut mitteret prædicatores in Daciam. Sed antequam sui nuncii redirent, rebus humanis exemptus est. Indè Gorm; indè Haraldus; indè Gorm, nec inveniuntur Christiani fuisse. His successit Haraldus, vir magnorum operum contra Ottonem Imperatorem, quem accessit Sterbiörn filius Beronis, ut habent quidam libri; veriùs tamen credo Beronis Regis de Biörckö/ conquerentes de avunculo suo Erico, quod eos privasset regno & paterna hæreditate. Ad quorum petitionem dum in Sueciam cum exercitu tenderet, audito adventu Imperatoris Ottonis, in Iuthiam revertitur & eum debellat. Hic Haraldus fidem Christi suscepit & in ea permansit, ac propter eam multas persecutiones sustinuit, pugnante contra eum filio suo Suenone, ac ejiciente illum de regno, adeò quod omnes incolæ regni Daciæ eum haberent exosum propter fidem Christi susceptam, & filio ejus Suenoni fidem impugnanti viriliter adhærerent, ac ob nihil aliud diligerent, nisi quod fidem extirparet, & idololatriam promoveret. Sed hunc Suenonem Deus multipliciter & miseri-

 corditer

corditer humiliavit, & ad extremum ad fidem convertit. Nam pugnans contra Sclavos, ad quos pater ejus ejectus confugerat, captus est binâ vice, & multa summa argenti redemptus. Deinde contra eum cæpit pugnare Ericus Rex Succiæ, triumphansque contra eum, in Scania ejicit eum ex Dacia. Fugiens igitur Sueno in Norvegiam, petiit adjutorium à Rege Olao; Sed nihil consolationis adeptus, adiit Regem Angliæ Eduardum, à quo indignè susceptus, multis ab eo improperiis lacessitur propter tyrannidem Progenitorum suorum, qui Angliam multiplici servituti subjecerant. Inde ergo discedens in Scotiam se convertit, ibique benignè susceptus septennio exulavit. Auditâ tandem morte Regis Erici de Succia ad pœnitentiam conversus de omni malo quod adversus Christi fidem & patrem proprium fecerat, baptismum & fidem Christi suscepit in Scotia, & factus est Deo devotus, atque ad extremum in omnib. prosperatus. Nam reversus in Daciam cum gaudio est receptus; Volens autem Sueno in Dacia fidem Christi dilatari & firmiter observari, populum metuebat, ne sicut eum dilexit propter odium & exterminium fidei, sic eum haberet odio propter fidei observantiam & amorem. Quare occultè ad se convocat Regni Magnates, suadens & exhortans quatenus fidem Christianam susciperent, & deinceps perpetuò observarent fidei sacramenta. Sed nihil apud eos profecit, quin constanter assererent, se velle observare ritum & modum vivendi, sibi à parentibus traditum & relictum. Tunc ex divina dignatione venit in Daciam vir ille venerabilis Poppo, qui permissione Regis, Nobilium & vulgarium; magna multitudine congregata, prædicavit eis fidem Christi, & cætera, quæ erant observantiæ salutaris. Illi autem nihil horum animadvertentes, sed pro ludibrio imputantes communiter contemnebant; Poppo igitur hoc modo eos ad crudelitatem induxit: Certificatus ab eis quod si ferrum candens portaret coram eis manu nudâ & illæsa ipsi fidem quam prædicabat veram esse cognoscerent, & se eam promitterent servaturos. Adfertur itaque ferrum admodum chyrothecæ fabricatum, & instar ignis candentis accensum, quod accipiens Poppo & manum injiciens coram omni multitudine illæsa manu portavit, & ad Regis pedes deposuit. Tunc Daci obstinacius resistere non valen-

valentes, ad fidem Christi & baptismi gratiam convolarunt, statueruntque pro Lege ut non amplius duello, sed ferro candente se purgaret infamatus.

Tunc etiam venit in Norvegiam Episcopus quidam venerabilis de Anglia nomine Bernhardus, qui convertit ad fidem Regem Norvegiæ, qui solo nomine christianus, infidelitatis suæ perfidiam non reliquit. Hic similiter convertit & baptizavit Olaum Regem Sueciæ filium Erici, & vertit nomen ejus vocans illum Iacob, hic est Schotta Konungh: Hæc ex Chronico Daciæ. Sed Chronico antiquo Sueciæ dicitur eum baptizasse Anundum filium Olai, & vocasse eum Iacob. Tunc ordinati sunt in Dacia per Metropolitanum Bremensem IV. Episcopi, Poppo Arhusiensis, Itaricus Slesvicensis, Leofdagus Ripensis, & Gerbrardus Roschildensis. Hic a. Sveno duxit in uxorem Sigridem Reginam Sueciæ relictam Erici, & matrem Olai Schotta Konungh/& genuit ex ea filium Canutum Regem Daciæ, fratrem Olai Schotta Konungh ex parte matris: Hæc verò dicta fuit Sigrid Hijn rijka / (*Sigridus dives*) & filius ejus Knut Hijn rijke/(*Canutus dives*) contra quem Canutum pugnavit S. Olaus, & cum eo & pro eo Amundus filius Olai Schotta Konungh/cujus etiam adjutorio S. Olaus à Russia reversus, fuit in regem Norvegiæ constitutus.

LIBER SECVNDVS HISTORIÆ SVECORUM GOTHORUMQUE.

SVrgenti auroræ præmissa sunt nubila, nunc à solis ortu usque ad occasum sunt lumina requirenda. Sumpto enim initio operis à Christi adventu in carnem, Regum successio in regno Gothorum, saltem nominum expressione descripta est; Sed eorum duntaxat qui coruscante licet Christi per orbem Evangelio, in gentilitatis & idololatriæ tenebris ambulabant, lucebat quidem lux in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt, quasi sub rutilantis solis fulgore tenebræ fugientes à facie solis, in unum se fortius compresserunt, dum lux vera qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in mundo erat, & mundus eam non cognovit; Atqui solis splēdore circumquaq; diffuso, & à flumine usq; ad

ad terminos orbis terrarum terræ faciem illustrante, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Quam autem multi Reges & Prophetæ voluerunt videre & non viderunt, tandem videre meruerunt Reges & Principes aquilonarium tenebrarum, sicut scriptum est: *Reges videbunt, & consurgent Principes & Dominum adorabunt*. Qui tres Reges orientis ad sua cunabula, ut eum mysticis muneribus honorarent, stella monstrante perduxit, is ad extrema penè imminentis judicii tempora, tres Reges occidentis pastoribus nunciantibus ad sui convivii præparatas delitias invitavit. Trium enim regnorum aquilonarium sub angulo degentium occidentis, Sueciæ videlicet, Daciæ & Norvegiæ Reges & Populi, erroris sui caligine dissipata, divina vocante clementia, ad agnitionem veri luminis, per Christianæ fidei susceptionem, uno in tempore adducuntur. Erant siquidem contemporanei Olaus Gothorum, Sveno Danorum, & Olaus Noricolarum Reges, qui sacrum baptisma, & fidei sacramenta cum subjectis sibi populis susceperunt, Christiana deinceps religione in omnibus his regionibus stabili remanente. Sed quia huic dicto quidam obstare videntur, recitanda sunt horum temporum gesta diffusius. Nam quantum ad Regem Sueciæ, satis nota est historia, quod Olaus Skotta Konung/ de quo nunc sermo est, communiter ponatur primus Rex Christianus in Suecia; cum tamen pater ejus etiam fuerit Christianus, sed aut timore mortis, aut expulsionis è regno, destitit à confessione fidei Christianæ, ast nihilominus occisus. Et circa annos DCCCXLV. per Beatum Ansgarium aliqui sunt conversi, non tamen ante hunc Olaum Schotta Konungh fuit universalis conversio totius communitatis ad Christum, & confessio nominis aperta.

Quantum verò ad regnum Daciæ, hoc repetendum est quod circa annos Domini DCCCXVI. quidam Haraldus à quibusdam incolis Daciæ electus in Regem, regnante nihilominus Regnero, expugnatus & ejectus per Regem Regnerum, adiit Ludovicum Imperatorem primum filium Caroli Magni, pro assistentia in caussa regni, & hac occasione est in Moguntia baptizatus, ut superius est expressum. Inter hunc autem Haraldum, sive Regnerum verius tunc regnantem, & Suenonem primum de quo hic fit mensio, regnabant in Dacia

cia X reges, inter quos nullus erat Christianus, nisi Ericus quem convertit Ansgarius anno Domini DCCCLV. vel circiter, tempore Ludovici II. Et Frotho in Anglia baptizatus, qui prædicatores petiit à papa Agapito, qui sedisse fertur circa annum Dn. DCCCLVI. vel circiter. Et Haraldus pater hujus Suenonis, quem Sueno idcircò cum consensu & cooperatione omnium penè Daciæ incolarum ejecit ex regno; Vnde patet eo tempore vel nullos, vel paucos fuisse in Dacia Christianos. Quod autem iste Sueno fuerit contemporaneus Olao Schetta Konungh/ patebit ex sequentibus. Nullum enim regem habuerunt Daci hujus nominis nisi hunc, & alium contemporaneum quarto vel septimo regi Christiano Suecorum, & tertium qui à quibusdam electus fuerat contra Canutum tempore S. Erici, cum tamen regnum Daciæ tunc tenuerit Valdemarus. Certum est autem ex historia Sigfridi, & ex chronicis concordatis, quod in adventu suorum de Anglia, Suenonem habuerint Daci Regem, & non alium præter ipsum. Vnde ipse est sub quo portavit ferrum candens Poppo, ad probandam fidei veritatem, quo miraculo viso Daci conversi sunt. Quod contigisse narratur circa annos Domini DCCCCL. vel circiter, tam in chronico Danorum quam Imperatorum, sub Ottone primo.

Quantum verò ad regnum Norvegiæ hoc sciendum est, quod tempore Suenonis prædicti cum adhuc junior esset Olaus Skotta Konungh / venerit ab Anglia in Norvegiam Episcopus quidam Bernhardus, prædicans in hac patria fidem Christi, & convertens baptizansque regem Norvegiæ, aut verius nomine Regis regni provisorem, dictum Olaum Tryggeson. Sed hic fuit solo nomine Christianus, & hac ordinatione promotus ad regnum. Post multam enim in regno Norvegiæ dissensionem & discordiam in regnando, convenientes tum temporis majores natu Tonsbergæ, creabant in regem quendam Haraldum Grymson, aut regni provisorem. Ille verò tradidit regnum Haraldo Grönske qui pater erat S. Olai. Hic Haraldus ante regium principatum, cum à parte adversa cum multis nobilibus quæreretur ad mortem, aliis occisis solus evasit, & in Sueciam fugit, ubi manu bellatorum valida conquisita, factus est pirata insignis, nemini parcens, ast Regem Daciæ acrius invadens: Cum verò jam rex factus fuisset,

&

& hunc filium Olaum scilicet genuisset, nescio qua ex causa combustus est Vpsaliæ per reginam Suecorum Sigridem, tunc, ut æstimo, ante filium suum Olaum Skotta Konung/ vel pro eo adhuc juvene regnum Sueciæ gubernantem. Interim regnum Norvegiæ gubernabat Olaus Tryggeson, primus rex in Norvegia Christianus, à Bernhardo episcopo baptizatus. Vnde notum est ante illa tempora Normannos ad fidem Christi non fuisse conversos. Bernhardus autem ille mortuus, sepultus fuit Lundis, ædificata ibi parva ecclesia sub Gerbrando episcopo Roschildensi: Olaus autem iste rex Norvegiæ cum esset bellicosus, disquirebat in corde suo quomodo sibi Daciam subjugaret, eò quod Sueno ille jam fuerat sæpè bello devictus. Vt igitur Sueciæ regem sibi posset in adjutorium obtinere, matrem ejus regis scilicet Olai Schotta Konungh reginam Sueciæ Sigridem desponsavit. Quo cognito Sueno rex timens ne fortè duos reges contra se pugnaturos acciperet, versuto consilio studuit matrimonium hujusmodi impedire. Vocans igitur de curia sua viros duos versutos & gnaros, mandavit eis ut rebus suis ad hoc dispositis, quasi profugi de Dacia regem præfatum Norvegiæ accedentes, regem Suenonem multipliciter infamarent, vili penderent, & denigrarent. Filiam autem ejus Thyram multis virtutum, honestatis, nobilitatis & prudentiæ titulis prædicarent, extollerent insignirentque. Viri igitur præfati jussa sui Regis implentes, in tantum Virginem illam in oculis regis Norvegiæ gloriosam, insignem & nobilem reddiderunt, ut ille mutato proposito reginam Sueciæ contemneret, & pro obtinenda filia regis Daciæ, ad patrem ejus solennes nuncios dirigeret, ut sui cordis desiderium explicaret. Itaque gratis responsis ad vota receptis, reginam Sueciæ ad navem suam per nuncios secretos vocatam, quasi clanculum cum ea aliquid tractaturus, multis vituperiis & improperiis dehonestavit, & sicut conceperat, submergi mandavit; sed illa suorum scilicet paucorum auxilio vix tandem extracta evasit. His auditis rex Sueno per nuncios honoratos reginam sibi obtinuit matrimonio copulari, quod eò facilius impetravit, quo illa ardentius cupiebat illatas sibi à rege Norvegiæ injurias vindicare: Missis ergo nunciis ad regem Daciæ pro filia sua regi Norvegiæ copulanda,

suo frustratus intento, confusus & illusus in sua malitia captus erubuit. Quare collecto exercitu, bello navali adversus regem Suenonem pugnare constituit; Verùm rex Sueno assumpto rege Olao de Suecia privigno suo, multa classe navium occurrit eidem, & bellum lethale committitur:

Habebat autem rex Norvegiæ sagittarium quendam Enarum nomine, qui crebris sagittarum ictibus exercitum regis Daciæ multipliciter affligebat. Quo cognito rex Sueno suis sagittariis imperavit, ut operam darent sagittarium illum de medio tollendi ante omnia. Vnus ergo ex illis arcum Enari jaculo divisit per medium, ut fractura longiùs audiretur. Stupefactus proinde Rex Norvegiæ quæsivit quid hoc esset, & respondit Enarus: Regnum Norvegiæ perdidisti. Tunc ille viso quod Normanni sui passim fuerent interempti, timens ne manibus suorum hostium traderetur, de navi exiliens se præcipitavit in aquam, & se propria temeritate submersit.

Post hanc victoriam SVENO in Angliam se contulit, & cum Eduardo qui tunc sceptrum regale tenebat hoc pacto convenit, ut ille regnum teneret ad vitam, & exinde regnum Angliæ ad regem Daniæ reverteretur, quod minimè servabatur. Nam post eum regnum Angliæ quidam Adelredus, ut in gestis S. Olai legitur, dicitur occupasse, & fortè ipse est Mildredus de quo in historia S. Sigrifidi fit mentio. Rex verò Sueciæ Olaus regnum Norvegiæ unà cum regno Sueciæ gubernandum suscepit. Interim crevit Olaus filius Haraldi Grönske Norvegiæ, ipse est S. Olaus, & factus est robustus & audax, incitabaturque animo ut vindictam sumeret de morte patris sui occisi. Conciliavit ergo populum Norvegiæ, & ad rebellandum regi Sueciæ sermonibus quibus potuit inducebat. Habebat autem directorem quendam Rani, virum industrium & versutum. Viis itaque quibus potuit naves sibi & bellatores congessit, & partes maritimas Suecorum aggressus, spoliis & incendiis miro modo vastabat. Transiens autē Oeresundium, applicavit ad partes australes & orientales, & ad interiora regni navigio pervenit. Quo cognito rex Sueciæ Olaus, navalem exercitum contra eū direxit, ac ille veritus à facie eorum, defesso meatu

Agne-

Agnesit, ubi nunc est oppidum Holmense fundatum, liber evasit, Olao Skotta Konungh contra suos vehementer irato, qui hostem suum potuissent, si non dissimulassent, invadere. Ille verò partes Suecorum aggressus accessit Gothlandiam, & magnam pecuniæ summam à Gothlandensibus extorsit, alioquin totam terram dedisset in prædam. Tunc verò pacificè apud eos hyemebat, & inde transiens circa partes Daciæ & Frisiæ venit in Angliam, & mansit cum Rege triennio, expugnans Dacos de civitatib. & castris: Sed mortuo Rege Angliæ inde recessit, & transiens circa partes maritimas australes, multis onustus spoliis tendebat in Norvegiam. Verùm mortuo Suenone rege Daciæ, cum Canutus filius suus, frater Olai Skotta Konungh ex parte matris, Angliam gravius infestaret, & regina Angliæ relicta Meldredi stipendiarios convocaret, rediit Olaus de Norvegia ad succurrendum Angliæ. Sed prævalente Canuto abinde recessit, regressus in Norvegiam, ubi captum Ducem Haquinum occidit, & quos primo aggressu arripuit, aut occidit aut sibi servire coëgit. Captâ autem mansione in VVijchia, convocavit ad se amicos & cognatos, matrem & vitricum, exponens illis laborem & vexationes quas pertulerat multis annis, & conquerens quod regnum sibi jure hereditario debitum, esset in manibus exterorum. Tunc de eorum consilio convocat ad se de toto regno nobiles & potentes, quibus apud eum congregatis, hanc sibi inesse intentionem asseruit, ut extraneis expugnatis, regnum poneret in manibus indigenarum, quod & placuit universis. Inde regnum circumiens, juramenta fidelitatis recepit ab omnibus, præstans & ipse regalia juramenta. Quo cognito rex Sueciæ & Norvegiæ Olaus, misit Ducem unum cum exercitu in Norvegiam. Sed mortuo Duce in via reversus est exercitus. Cum autẽ per nuncios suos in Norvegia tributa exigeret, obstitit Olaus jã pro rege susceptus. Tunc mandavit ei per nuncios ut ad eum veniret, & regnum ab eo susciperet. At ille commotus respondit se in æstate venturum ad regnorum confinia, ut sciret unusquisque quod suum esset, mandavitque regnicolis Norvegiæ ne mercimonia communicarent, aut quicquam utilitatis Suecis impenderent; Atque cum hoc cederet in grave dispendium suis subditis, fecerunt ei per internuncium tale præstari consilium, ut pacem cum

rege

rege Sueciæ iniret, & ut filia ejus sibi matrimonio jungeretur, modis omnibus laboraret. Misit ergò nuncios ad Olaum Schotta Konungh/ut cum eo pacis fœdera stabiliret,& filiam sibi daret. Præsumens autem se apud eum minus proficere, mandavit nunciis ut Ducem Ragvaldum accederent, & per ejus mediationem omnia agerent. Sed rex Olaus cum multa contentione & ira respondit, minas terribiles adjiciens, & regnum Norvegiæ se subversurum contestans. Verum hi qui missi fuerant, sicut viri sagaces ad modicum secedentes, & aliis atque aliis mediis sibi commissa impetrare tentantes, etiam Reginam ut partes suas interponeret inducebant. Et cum nec illa proficeret, promisit nihilominus ipsa, quod rex eorum suum consequeretur affectum. Sed & vulgares de regno in multitudine accedentes, suaserunt Regi quod Olao de Norvegia filiam daret, & pacem cum eo componeret, alioqnin sciret se non esse securum de vita, cum in tanta discordia ipsi non possent securi vivere. Tot ergo Rex telis confossus petita concessit, mittens ei filiam suam Tonsbergam cum multa nobilium comitativá, & donariis multitudine preciosis.

40. *Olaus Skota Konung.* Rex autem Olaus Schotta Konungh jam tum Christianus erat, sicut & Olaus rex Norvegiæ, utputa sub rege Mildredo in Anglia, & sub rege Suenone in Dacia regnantib. baptizatus, quorum uterque dum hæc agerentur defunctus erat. Supervixit autem Schotta Konungh post baptismum multis annis,& rex Norvegiæ post mortem Schotta Konungh diu supervixit. Mortuus est verò S.Olaus anno Domini MXXVIII. Vnde patet falsum esse,quod in quibusdam chronicis sive excerptis chronicorum fictis dicitur, S. Sigfridum venisse ad Olaum Schotta Konungh, & illum baptizasse anno Domini MCVIII. cum idem Schotta Konung ante S.Olaum de Norvegia sit defunctus anno VIII. postquam dedit filiam suam Sed & S. Ericus XII. ponitur ab Olao Schott Konung/ & ille martyrio coronatus est anno Domini MCLX. Ac ita secundum illos à baptismo Schett Konungh/ usque ad mortem S. Erici fluxissent anni tantum modò LII. sub quibus debuissent XII. Reges regnasse in Suecia, quod valde videtur absurdum: Verius ergo videtur quod circa annos Domini DCCCCLVI. vel prope hæc tempora, S. Sigfridus convertit

tit ad fidem Olaum Schott Konungh cum toto regno suo; Cum autem esset dissensio gravissima inter Olaum regem Norvegiæ, & Canutum Rijka regem Daciæ, tàm propter Angliam quam Olaus Canutus subjugavit & occupavit, quam Olaus dilexit, & liberam esse voluit, quam etiam propter Norvegiam quam Canutus ad se pertinere ostendebat; Vivente tamen Olao Schott Konungh/ mansit inter duos prædictos tranquillitas, procurante, ut videtur, Schott Konungh / cum alter eorum esset ejus frater, alter gener. Vnde interim S. Olaus liberè faciebat in Norvegia quæcunque sibi facienda visa fuerant, tam in negotio fidei quam regni.

41. *Amundus. Carbonarius.* Post mortem Olai Schott Konungh surrexit Amundus filius ejus pro eo. Hunc vocatum dicunt Kålebrenna / quia pro Lege statuit, cum aliquis contra justitiam deliquisset, domus ejus tota, vel pars domus major vel minor, ut juxta modum culpæ esset plagarum modus, incensa igne periret. Sed demum melius informatus, rationabiliorem condidit Legem. Hic, ut quidam volunt, baptizatus à Bernhardo episcopo de Anglia in Norvegiam profecto, ab eo in baptismate Iacob nomen accepit, quod, si verum sit hoc modo potuerat contigisse: Nam cum S. Olaus uxorem ejus sororem haberet, verisimile est quòd iste apud eum fuerat educatus, aut saltem in juventute in ejus Curia conversatus; ubi etiam præsumitur baptizatus, vnde amicissimus fuit S. Olao, reducens eum post fugam in regnum Norvegiæ de Russia, & cum eo pugnans contra patruum suum Canutum regem Daciæ. Mortuo autẽ socero sancti Olai, nempe Olao Schott Konung/ insurrexerunt contra eum tribulationes multę & magnę. Quidam enim de regno Norvegię nobiles & potentes, accesserunt Canutum regem Daciæ filium Suenonis, exponentes eidem quomodo rex eorũ Olaus à paternis eorũ legibus eos invitos avellens, bona quoq; & possessiones invaderet. Consuevit n. S. Olaus hoc modo nolentes ad fidem cogere, ut bona eorum confiscaret. Insuper eundem Canutum modis quibus poterant instruxerunt, ut ei jus regnandi in Norvegia deberetur; & ad ejiciendum S. Olaum à regno seriosius induxerunt: unde & ei tanquam vero eorum regi juramentum fidelitatis & homagii præstiterunt, ei assistentiam debitam pollicentes.

Mandavit ergo idem Canutus S. Olao per litteras, ut regnum

gnum Norvegiæ ab eo & ſub eo ſuſciperet & teneret, quod rex Olaus omninò negavit. Adiit itaque S. Olaus regem Sueciæ Amundum filium Olai Schetta Konungh & fratrem uxoris ſuæ, petens ab eo aſſiſtentiam contra Canutum pugnandi, quam illi promiſit. In continenti igitur uterque de regno ſuo, navali educto exercitu, convenerunt in Oereſund cum DCCC. navibus, nam CD. uterque habebat: Sed & alium exercitum pedeſtrem Amundus eduxit in Scaniam, & illam ſibi ſubjecit. Rex autem Olaus cum potentioribus Daciæ ſic convenit, quod niſi Canutus infra diem quem tunc præfixerunt, rediret in Daciam, ipſi Olaum pro Rege ſuſciperent. Quidam vero Dux Haquinus de Dacia feſtinavit in Angliam, regi narrans Canuto rem geſtam ex ordine.

Hic Chronicon Noricorum recitat verſutiam & fraudem cujusdam Vlphonis Sprakeleg, quâ obtinuit ſororem Canuti in uxorem, & quomodò cum Suecis unum exercitum paraviſſet. Mox deinde Canutus cum ingenti exercitu de Anglia veniens, littoribus Danorum applicuit: Reges verò Amundus & Olaus ſecedentes, in portu quodam Scaniæ non longe à Calmaria diſtante, Helgheâå nominato, cum ſuis exercitibus conſederunt, quos inſequens Canutus cum M. navibus furibundus acceſſit. Sed illi quodam ingenio factis foſſatis, & aquâ cujusdam magni fluminis congregata, ac in magnam altitudinem elevata oſtia, quibus diſſolvi & cum impetu dimitti poterat, habebant parata. Cum autem ille in impetu furoris cum exercitu navali propius acceſſiſſet, ruptæ ſunt chararactæ abyſſi magnæ quas ſuſpenderant, unde torrentis voragine rapidiſſima, tota penè claſſis Danorum abſorpta eſt, exceptis duabus navibus magnitudinis admirandæ, quæ Dracones dicebantur, quarum unam Rex Canutus, alteram Dux Haquinus ducebant, ſicque à pugna ceſſatum eſt; quæ quidem ita narrat Chronicon Noricorum. H.

Danorum vero ſic habet hiſtoria: Quod rex Olaus cum extrema difficultate evaſit de Selandia, dum Canutus ab Anglia eo inſcio adveniſſet. Quidam enim vir ſenex & prudens in Selandia, ſpem regni continuæ dabat Olao, ſuisque blanditiis quaſi ſecurum per omnia diutius detinebat, & cum Canuti exercitus adveniſſet, dixit hanc claſſem eſſe quorundam venientium mercatorum. Super quo tandem increpatus

ab Olao, respondit eos esse mercatores qui Daciam ferti pretio compararent. Olao igitur difficulter & præcipitanter fugiente, restabant duo Suecorum exercitus, unus pedester in Scania, & alter navalis in Oeresund, vel in portu Helgheaa, quem ducebat Vlpho Sprakeleg gener Canuti regis, sed ab eo profugus, & Suecis unde natus erat adjunctus: contra exercitum ergò qui Scaniam invaserat, in propria persona Canutus processit,& navalem exercitum suum contra Sprakeleg in manu Ducis Haquini direxit. Quod sciens Vlpho præfatus, in insula quadam ubi naves onustæ applicare non poterant, cum sua gente consedit; Dani vero in ripa propinqua, brevi meatu divisa ab insula, applicuerunt, pontemque per alveum, quo ad Suecos possent accedere, paraverunt. Cumque jam ille pons pene paratus esset, Vlpho cum impetu cum suis accurrebat, simulans se velle pontem percurrere, & in hostium castra irrumpere. Quod Dani videntes, ut pontem defenderent,unanimi aggressu in pontem dissiliunt,& omnes pariter submerguntur, fundamento pontis Vlphonis astutia penitus dissoluto. Hæc ex Chronico Danorum. Interim rex Canutus cum esset in dandis stipendiis militum largissimus & nominatissimus, per subordinatos nuncios totam ferè familiam regum Olai & Amundi ab eorum exercitu distraxit, & suæ militiæ ascribebat, quod dum Reges illi attenderent, regredi in Sueciam disponebant; Sed & rex Canutus in Selandiam est reversus.

AMVNDVS igitur Gothorum Rex,de CD. navibus, C. duntaxat retentis, & servorum parte non magnâ,aliis fugientibus ad Canutum, obtulit S. Olao pro quo jam tantum expenderat, partem Sueciæ quam vellet habere, ut in ea secum vivere posset. At ille relictis apud Calmariam navibus LX. quas solas habebat residuas, per VVestrogothiam in Norvegiam est reversus, suadentibus servis suis ut rediret navigio, volentibus ipsis ad Canutum navibus se conferre, quod & eum non latuit. Exinde potentes & nobiles Norvegiæ, fiduciam accipientes eum excludendi à regno, cæperunt ei multipliciter adversari. Rex autem Canutus interim se parabat & venit in Norvegiam cum M C C. navibus usque Nidrosiam profectus, & in brevi pro rege à toto regno, præcipuè nobilibus est receptus.Erat enim Olaus eis gravis ad videndum, cum

cum esset eorum operibus contrarius,qui erant assueti vivere de rapinis. Canutus itaque regni rebus ordinatis, præfecit Norvegiæ Ducem Haquinum. Cæteris autem regni magnatibus tradidit partes suas. Sed Olaus interim parvo navigio huc illuc latitando quasi profugus ferebatur, & cum vellet alicubi applicando in terram descendere, officiales & amici Canuti eum repellebant à littore, & ascendere prohibebant. Contra quos tandem prævalens ipsos fugavit, & pertransiens terram, atque montanam in Nericiam Sueciæ pervenit, ubi relictâ uxore ad regem Russiæ, qui ejus sororem habebat, postremo pervenit; anno regni sui XV. juxta eum non parvo tempore demoratus.

Interim currebant relationes ad eum, quod Dux Haquinus, cui regnum Norvegiæ erat commissum, esset submersus, & quod regnum staret absque rectore, veneruntque ad eum qui eum dilexerunt, & eum redire rogabant. Quibus acquiescens, & CC. armatos à rege Ierslevo accipiens, navigio in Gotlandiam, & inde ad Loffœ in Sueciam, & continenter Arosiam pervenit, ubi uxor ejus & filia ei cum gaudio occurrebant. Rex autem Amundus eum cum multo amore & honore accipiens, CD. armatos ei assignat. Intelligentes verò Norici eum jam esse in Suecia, & velle in regnum suum reverti, in se divisi sua studia bifariàm diviserunt. Alii siquidem qui Olao favebant, ei ut in Suecia accurrerent, alii ut eum excluderent, se paraverunt. Venit ergò Dagerus Ringson ad eum cum MCC. viris, venit & frater ejus Haraldus Sigurson cum DC. viris; & ut quidam volunt, transiit per Iemptiam, & venit in Stikelstad, æmulis ejus Nidrosiæ congregatis, qui dicuntur habuisse triginta millia pugnatorum, cum ipse tantum M. DCC. viros habuisse dicatur. Nam episcopus Torchillus Dacus, omnes induxerat ad resistendum Olao, & contra eum pugnandum, ipso occiso, & à quodam quem rogaverat, occultè sepulto.

Canutus Rijke tres habens filios divisit eis regna, Angliam Haraldo, Daciam Canuto, cognomento Harde, Suenoni Norvegiam assignando. Hic in tantum afflixit Noricos multis annis, ut nemo mutire auderet, tandem contra eum congregati in prælium, & ab eo devicti, amplius talliantur. Postremò tandem tota multitudine ad pugnandum egressa, fu-

fugatur è regno, & brevi post moritur; similiter & pater ejus, Frater verò ipsius Canutus Harde, jam Daciæ & Angliæ rex effectus, etiam Norvegiam est adeptus. Tunc duo Nobiliores regni Norvegiæ, ad quærendum filium S. Olai Magnum nomine apud regem Russiæ relictum, se accingunt ad iter per Sueciam transeuntes, & cum eo per Helsingiam revertentes, qui tandem rex Daciæ factus, equo dejectus interiit.

42. *Amundus Vilis.* Post Amundum Kolebrenna regnum assequutus Amundus Slemma, quod nomen à vilitate videtur adeptus; Ipse enim temeritate suâ, vel caussâ aliâ quavis insanâ, Danorum fortè, ut sæpe contigerat, inductus astutiâ, Scaniam divisit à Suecia limitibus designatis; Sed sentiens se imprudenter egisse, pœnitentiâ sed serâ compunctus, quod sponte abjecerat cum minori dispendio recuperare volens, ast non valens, cum exercitu intravit in Scaniam, vivente adhuc Canuto, qui dictus est Rijker / dum ille in Anglia regni rebus intenderet. Canutus igitur rex mox ut comperit ejus ingressum, ingentem ab Anglia direxit exercitum in manu generi sui, viri scilicet sororis sui Estridis, & nomen viri Vlpho, Sprakelegh jam alias nominati, qui Scaniam cum gente sibi credita potenter ingressus, & regi Amundo furibundus occurrens, in ponte quodam ab incolis dicto Stongapelle, cum tota pene gente sua prostravit. Et de hoc quidem Vlphone jam aliud in superioribus est relatum, sed pauca sunt nihilominus de eo annotanda. Hic enim Vlpho, ut Chronicon Danorum narrat, homo dolosus & audax in Suecia oriundus, dum Canutus rex Daniæ in Anglia esset, & multi ad eum ex omni natione confluerent, eò quod esset in donariis & militaribus stipendiis multum largus, accessit, ille versutiæ suæ ingenio confisus; Habebat autem idem Canutus sororem quandam nomine Estrid, Duci cuidam Normanniæ desponsatam, & brevi post vel eo defuncto relictam, vel contemnente repudiatam, quam Canutus jussit in Selandia consistere, data ei portione de regno pro sui sustentatione honesta.

Audito demum quod Rex Olaus Norvegiæ, & Amundus Sueciæ contra Canutum expeditionem in Daciam præparassent, prout superius est expressum, suasit regi

Ca-

Canuto idem Vlpho ut eum dirigeret cum exercitu contra illos, datis litteris credentialibus ad sororem suam Estridem, ut quicquid ei Vlpho diceret, ipsa facere nullatenus dubitaret. Cogitavit enim Rex, ut quia illa partem regni haberet, & ad ejus imperium omnes essent parati, per ejus mediationem Vlpho facilius ageret negotia Regis. Sed ille litteris hujusmodi ad alium finem usus, per illas eam obtinuit in uxorem. Veritus ergo à facie Canuti, cum uxore sua sorore Regis præfati fugit in Sueciam, & regi Suecorum adjunctus contra Canutum pugnavit, ac populum ejus submersit, ut alias est narratum. Sed per mediationem uxoris ad gratiam Canuti Regis fratris ipsius uxoris denuo est receptus. Ignorante tamen Canuto, quod ejus exercitum submersisset, & post hæc defuncto Amundo Kålbrenna & hoc Amundo Slemma in regnum erecto & Scaniam sic intrante, creditur ab eodem Canuto directus, & ut præmittitur triumphasse, sed præmium sicut meruit est adeptus. Cum enim quodam festo Natalis Domini, cum Rege Canuto duceret in bonis dies suos in oppido Roschildensi, vehementer inebriatus fecit sibi canticum de submersione Danorum, sua versutia demersorum, quod frequentius in Regis audientia decantabat; Propter quod rex immodicè turbatus & iratus, jussit eum comprehendi, fugientemque ad ecclesiam S. Lucij, jussit mox occidi ibidem, & posito propterea interdicto, multa summa pecuniæ interdictum obtinuit relaxari. Hic vero Vlpho ex sorore regis Canuti Estride, genuit filium nomine Suenonem, qui post mortem Canuti Harde, filij hujus Canuti, contra Magnum filium S. Olaî jam Regem Daciæ ex condicto effectum, diutissimè pugnans, post ejus mortem regnum Danorum obtinuit. Convenientes autem in pugna Canutus Harde, & Magnus filius S. Olai Regis Norvegiæ, hoc modo pacificati sunt, ut qui diutius viveret, utrumque regnum acciperet, & hac ratione Magnus supervivens, Rex Danorum eligitur. Sueno autem iste cum esse de sanguine Danorum, pinguis jus in regno dicebat se habere ex linea materna, cum pater suus Suecus fuisset. Prævalente enim Magno, Sueno fugit in Sueciam, illicq; moratus est usque ad mortem Magni. Nescio si ipse sit Sueno, qui contra regem Ingonem electus, & dictus

 Blod-

Blodsuen in legenda S. Eschilli. Quem insequens Magnus cum in Scaniam venisset, subito erumpente ex dumo lepore, equo cui Magnus insedit exterrito, cecidit rex Magnus in terram, & continuo expiravit. Quo mortuo rex Sueno reversus & rex Danorum effectus, bella multa cum Haraldo fratre S. Olai gessit,& tandem pacificè vivens,reginam duxit ex Suecia, filiam Regis cognatam suam; Neptem verò suam Valdemaro regi Russiæ dedit uxorem, filios multos habens naturales, sed legitimum nullum.Compulsus deinde ab Episcopis Bremensi, Roschildensi & Lundensi, reginam remisit in Sueciam, & à conjugio uterque abstinuit totâ vitâ, ipsâ insuper votum continentiæ emittente. Hic Sueno fuit pater Canuti regis Daciæ. Habuit XI. filios. Sed notandum quod Amundum quidam ponant inter Reges Suecorum paganos ante Ericum Segersælle; Ast verius videtur quod in hoc loco, & hoc ordine sit ponendus: Sic enim habent antiqua chronica, & hoc ostendunt tempora gestorum suorum, & Reges ei contemporanei. Pugnavit siquidem contra Canutum Riijke regem Daciæ, & ab eo devictus est. Canutus verò & Sueno pater ejus contemporanei erant Olao Schott Konungh/ut superiora ostendunt. Potuit fortè esse quod valde juvenis habuerit principatum, & pueriliter egerit metas ponendo prædictas, & idcirco depulsus à regno. Sed longævus effectus ad principatum reversus, emendare voluerit quod deliquit.

43. *Haquinus Rufus.* Exinde regnavit Haquinus dictus Röde, natus in VVestrogothia & contractu Vistaheradh, Villa Lionni vel Liswem/ ubi & sepultus est postquam XIII. annis regnasset.

Hoc tempore S. Olao occiso, & Suenone filio Canuti Riike in Regnum Norvegiæ intruso, sed propter nimiam tyrannidem ejecto, frater ejus Canutus Harde Angliæ & Daniæ rex,regnum Norvegiæ est assecutus.Sed rediens Magnus S. Olai filius, & in Norvegia pro rege susceptus, veniente contra se Canuto rege Daciæ, sic ad pacem reducti sunt, quod altero eorum defuncto, superstes in utroque regno haberetur pro Rege, idipsum confirmantibus & juramento stabilientibus Nobilioribus & Potentioribus partis utriusque. Canuto ergò defuncto Magnus sine contradictione efficitur rex Danorum, quo cognito Sueno filius Vlphonis Sprakelegh, & Estridis sororis Canuti regis, Anglia dimissa

missa totis viribus pro acquirenda Dacia laborabat; Sed vivente Magno & defendente Daciam, non profecit; Et ex eo tempore Anglia à Danorum dominio absoluta, ad eorum manus non est ultra reversa.

Circa hæc tempora Romanum imperium regebat Otto Ruffus seu Rubeus, correspondenter huic Haquino Rödhe, quo pugnante contra Agarenos, Romanis & Bumentanis terga vertentibus, Christianorum exercitus pene extinctus est, Imperatore fugiente ad naviculam quandam Græcorum, & se Imperatorem esse dissimulante. Sed tamen ab eis cognito, loquebantur Græceque eum pro magna summa tradere vellent inimicis. Quod ille intelligens, dixit se reposuisse thesaurum in Sicilia, rogansque ut eum illuc ducerent, & partem pecuniæ obtinerent. Quo vectus & adjutus, morti tradidit traditores.

Hoc tempore Adalbertus Pragensis Episcopus revelatione divinâ in Pannoniam tendens, baptizavit primum regem Vngarorum scilicet Stephanum. Deinde Polonos & Prutenos convertens, martyrizatur ibidem.

Postquam Haquinus Rödhe, debito naturæ soluto, migrasset è mundo, Stenkillus nepos Olai Schot Konungh / regni Suecorum Diadema susceperit. Erat enim idem Stenkillus quasi unus gigantum, vir heroicus & in rebus bellicis nimium cervicosus: Præ cunctis autem regni sui incolis, Vestrogothos dicitur dilexisse. Hic arte sagittandi singulariter præditus, & aliis omnibus antelatus in tantum, ut actus ejus in sagittando mirabiles, sint litteris & imaginibus designati Eo tempore Magnus filius S. Olai rex erat Norvegiæ, & deinde Daciæ ex conventione facta cum Canuto Harde filio Canuti Rijke, dum congressuri sunt taliter pacati. 44. *Stenkillus.*

Circa hæc tempora, postquam tres Ottones per successionem Romanum tenuissent Imperium, statutum est ut per officiales Imperii eligeretur ex eo tempore Imperator, hoc est, per tres Cancellarios, scilicet Italiæ, ut est Coloniensis Archiepiscopus, Galliæ, ut est Trevirensis; Germaniæ, ut est Moguntinus; Et per quatuor laicalis status Principes Electores, & Romani principatus officiales. Est enim Marchio Brandeburgensis Camerarius; Dux Palatinus Dapifer; Rex Bohemiæ Pincerna, Dux Saxoniæ ensem portans, unde versus:

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet imperij fit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio Præpositus, Cameræ Pincerna Bohemus:
Hi statuunt Dominum, cunctis per tempora summum.

Hoc quoque tempore Gilbertus monachus Floriacensis, dimisso habitu fecit homagium diabolo, ut omnia ei ad vota succederent, quod & ei promisit, mireque profecit. Habuit discipulos Ottonem Imperatorem, Robertum regem Franciæ, fit Archiepiscopus Remensis, inde Ravennas, indeque Papa. Et tunc quæsivit à Diabolo quamdiu esset victurus, qui respondit quamdiu non celebraret in Ierusalem: Celebrans autem in capella Ierusalem Lateranensi, ex strepitu dæmonum mortem sentiens imminere, publicè confitetur, crediturque misericordiam consecutus; Fecit hanc sequentiam: Sancti Spiritus adsit nobis gratia, &c.

45. *Ingo III.* Post Stenkillum regnavit Ingo, vir magnæ strenuitatis & liberalitatis, magnanimus & justiciarius, præcipuus, & præcipuè in seipso, ut testimonium habuerit à toto regno, quod nunquam contra Leges patriæ deliquisset. Hunc dicunt contra Dacos in Scaniâ pluries triumphasse, & ad extremum ipsam Scaniam plenâ jam possessione tenuisse. Sed postquam eam in suô dominio per triennium habuisset, nocte quadam dum minus fideliter à suis, quasi de Scanensibus jam securus, servaretur, clanculum est occisus. Quod audientes VVestrogoti, corpus suum de loco occisionis rapientes, in suam patriam detulerunt, & in Varnhem monasterio sepelierunt. Huic vérò contemporaneus erat Sueno ille rex Daciæ, de quo aliqua superius sub rege Amundo Slemma sunt narrata. Sed per anticipationem dicta occasione patris sui Sprakelegg, qui eundem Amundum occidit; Et in hoc tempore Scania erat sub Episcopo Roschildensi quoad spiritualia. Tunc autem elegerunt sibi duos Episcopos, unum scilicet Henricum nomine, quem ponebant in Dalby; Alterum Eginonem, cui Lundensem dabant sedem; Sed Henrico malè mortuo, solus Egino Scaniam sibi attraxit. Hoc similiter tempore Haraldus frater S. Olai, cujus anno XV. S. Olaus occisus est, qui in Bizantio ex eo tem-

tempore exulaverat, reversus in Norvegiam rex creatur, & contra Suenonem in Daciam proficiscitur, & bis contra eum triumphat. Tum Dux Normanniæ regnum Angliæ sibi subegit. Accidit hoc tempore quosdam milites Daniæ, in quadam Invitata regi Suenoni graviter detraxisse, quo cognito Rex fecit eos in ecclesiâ Roschildensi occidi; Episcopus autem Roschildensis VVilhelmus Anglicus dissimulabat. Sed quodam die cum Rex vellet ecclesiam intrare, indutus occurrit ei ante valvas ecclesiæ, prohibens ei ingressum, & rejiciens eum cum baculo pastorali. Servos verò suos volentes Episcopum trucidare Rex compescuit, & domum regressus depositis Regalibus, vestes lugubres assumpsit, & se discalceatum ante valuas ecclesiæ in terram projecit ac pœnitentiam egit; quem Episcopus introductum ante summum altare statuit, & pœnitentiam satis gravem injunxit. Post hæc convocata multitudine populi, Rex suum reatum publicè est confessus, & coram eis Episcopo multas gratias egit, quod eum in iniquitate suâ non reliquerit. Ecclesiæ autem Roschildensi multa bona largitus est perpetuo possidenda.

Ingoni successit in regno frater ejus Halstanus, qui erat homo mansuetus, benignus & tractabilis, & omnia in meliorem partem interpretatus, in bona concordia & tranquillitate regni negotia dispensabat, de cujus morte gens Sueonum multo mœrore confecta, quasi paterna funera deflevit. Hoc verò tempore mortuo Suenone Danorum rege, cum multos haberet filios, duo post eum in discordia sunt electi, Haraldus scilicet & Canutus. Nam nobiles & tyranni Haraldum sibi præfecerunt pro rege, eo quod sub eo esset eis licitum & liberum vivere de rapina. Plebei autem & præcipuè Scanenses, Canutum regnare volebant, scientes quod violentias tyrannorum comprimeret, & quietos ac pacificos defensaret. Sed Haraldus prævaluit in vanitate sua. Invenitur in quibusdam Chronicis, quod post Ingonem regnaverit filius ejus Ragualdus, & Helena regina, & Philippus patruelis Ragualdi filius Halstani, qui erat frater Ingonis. 46. *Halstanus.*

47. Defuncto Halſtano Philippus filius ejus in regno præfici-
Philippus. tur gubernando. Erat autem Philippus patri per omnia in vivendo & regnando conformis, homo pacificus & manſuetus, omnium ſubditorum ſuorum benevolentiam hauriens & amorem, cui contemporaneus erat in Daciâ S. Canutus filius Suenonis regis, & frater Haraldi, quo defuncto Canutus rex efficitur. Hic à fratre ſuo Olao Duce Iuthiæ blandè decipitur, & occultè ſupplantatur, quem dum rex captivare mandavit, ſervi ſui contradixerunt, aſſerentes ſe non poſſe regiam progeniem captivare. Frater tamen regis eum vinculis mancipavit, & ſic in Flandriam mittitur captivatus. Hunc Canutum quidam Secretarius ſuus, blando ſuo ſermone ſeductum in eccleſia Ottonienſi cum fratre ſuo Benedicto, cum plebeia multitudine in Regis necem unanimiter conſpirante, transfoſſo latere jugulavit, anno Domini MLXXXVIII. Habuit autem S. Rex Canutus uxorem filiam Comitis de Flandria nomine Eddelam, & genuit ex ea duas filias, nempe Ingeredem & Ceciliam, & unum filium Carolum nomine, quem mortuo rege reverſa ad patriam in Flandriam ſecum tulit. Hanc Ingerdem duxit uxorem Folco nobilior vir totius Sueciæ, qui genuit ex ea duos filios, ſcilicet Benedictum & Canutum, ac ex Canuto natus eſt Birgerus Dux Sueciæ; Ceciliam vero duxit princeps Gothorum, & genuit ex ea duos filios Canutum & Carolum, & ex his diſſeminati ſunt potentiores in regno. S. Canuto ſucceſſit in regno frater ſuus Olaus, quo regnante, fugit in Sueciam frater ejus Ericus Egot cũ uxore ſua Botilda, quia eum captivaverat ſub Canuto ſervis nolentibus. Hic Ericus mortuo fratre ſuo Olao, ſucceſſit in regnum Daciæ, & tres filios habuit, optimeque rexit, & à Bremenſi Archiepiſcopo Sententiis tribulatus appellat, & accedit Papam ac triumphat. Impetrat Danicam Eccleſiam à Bremenſi juriſdictione eximi. Proficiſcens vero Ieroſolymam, mittit ad Papam, rogans ut quod promiſerat exequeretur. Tunc Papa miſſo in Daciam Legato, facit inquiri locum aptiorem pro Metropoli, & inventa eſt Lundis multiplici ratione. Tunc creat Azarum jam tunc Epiſcopum Lundenſem, virum nobilem in Archiepiſcopum, dans ei authoritatem in ſpiritualibus in tribus regnis. Hæc ex Chronico Danorum. Hujus Erici filius erat Dux Canutus Sanctus ſub

Ni-

Nicolao patruo ſuo rege, & hunc Canutum fideliſſimum occidit rex Magnus, filius illius Nicolai regis in dolo.

Poſt mortem Philippi Ingo ſublimatur in regnum, Ingonis prioris patrui ſcilicet ſui nomen ſortitus & mores. Hac enim parentelâ regnante, ſtatus regni integer ſemper in nullo penitus vacillabat. Iſte ſiquidem cum progenitoribus ſuis regnum conſervabant illæſum ab hoſtibus, Leges & libertates patriæ & inviolabiliter obſervarunt, & fecerunt ab unoquoque indeclinabiliter obſervari. Hic Ingo maritus erat B. Ragnildis, cujus Reliquiæ ſunt in Telgis, & horum filia erat regina Chriſtina uxor S. Erici. Erat autem Ingo frater Philippi filij Halſtani, qui frater erat ſenioris Ingonis. Hic junior Ingo in Oſtrogothia in Vreta potionatus veneno interiit, unde nimirum toti regno dolor immenſus acceſſit. Sic amore dominandi lucerna in Iſraël eſt extincta: ſic ſanguis regius à regno exterminatus. Divinâ tamen providentiâ modica ſcintilla latebat ſub cinere, unde ſuſcitaretur ſuo in tempore ſemen in Iſraël, dum filia Ingonis ſuæque venerandæ Conſortis, Chriſtina, glorioſi regis & martyris B. Erici conjugio ſervaretur. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus: in illa enim qui judicat fines terræ, dedit imperium Regi ſuo, & ſublimavit cornu populi ſui. Hujus filiam duxit Nicolaus rex Daciæ, frater S. Canuti regis, & patruus S. Canuti Ducis, ac genuit ex ea filium nomine Magnum. Neſcio tamen ſi ex illa genuit virum illum nequiſſimum, qui occidit S. Canutum Ducem virum optimum, & hunc Magnum occidit Ericus Rex Daciæ frater S. Canuti Ducis, in publico bello contra eum & patrem ejus Nicolaum, quem occiderunt cives Sleſvicenſes pro occiſione Ducis Canuti. Et nota quod chronicon Danorum vocat hunc Magnum regem Sueciæ, qui coactus ob necem Ducis Canuti, fugit in Sueciam. Item legitur de quodam Magno quem dicitur Suecos elegiſſe, qui duxit filiam Ducis Poloniæ, & celebravit nuptias ſuas Ripis, & vicit Scaniam adjutorio Polonorum & Danorum.

48. *Ingo IV.*

Generoſus & glorioſus Rex Ingo in Oſtrogothia, poculo venenato vitam temporalem finivit, & ibidem quidam Ragualdus Knaphöffde dictus, regni Diadema ſuſcepit: Erat hic giganteo corpore, vegetus animo, tumens & audax, & in

49. *Ragualdus Knaphöffde.*

in ſuperbiam erectus, non prudentiâ & conſiliis, ſed fortitudine confiſus, velut alter Roboam reliquit conſilia Seniorum. VVeſtrogothiam ergo ordinandorum regni negotiorum gratia ingreſſurus, non advertit patriæ conſuetudinem & privilegia regionis, quibus cavetur ne Rex ſine comitiva antiquitus deſignata, Legiſeratum aliquem regni intrare præſumeret. Sic enim laudabilis regni decernit antiquitas, ut unusquisque regni Diſtrictus, Regem per ſuos limites propriis viris & armis ſalvum perducat & juxta poſitis deducendum aſſignet. Hic autem Ragualdus corde tumens, & Leges contemnens, ambulansque in mirabilibus ſupra ſe, propriâ temeritate VVeſtrogothiam intravit, in contemptum & deſpectum inhabitantium in ea. Propter quod VVeſtrogothi convenientes in unum, ſic ſuam injuriam vindicarunt, ut qui contra eorum velle intraverat, ſuo velle exire non poſſet, & qui ingredi non debuerat, exire non deberet. Igitur juxta Scarenſem civitatem in Karleby occiſus occubuit, circa annos MCXXX. vel circiter.

50. Magnus. Interfecto in VVeſtrogothia Ragualdo Rege volunt aliqui electum fuiſſe quendam Magnum, qui filiam Ducis Poloniæ dicitur duxiſſe uxorem, & celebraſſe nuptias ſuas Ripis, ut ſuperius eſt expreſſum. Erat eo tempore in Dacia quidam Rex Nicolaus, frater S. Canuti Regis, hic habebat filium nomine Magnus qui dicebatur, & inter Reges ſcribitur Rex Magnus, vel ex eo quod erat filius Regis Nicolai, vel quia regnum Daciæ gubernabat cum eo, vel ut aliqui volunt, quia erat Rex Sueciæ, licet continuè in Dacia moraretur. Hic Magnus dolo occidit Canutum Ducem virum ſtrenuum fidum Erici Regis, fratris S. Canuti regis & Nicolai regis, cujus ipſe Magnus erat filius. Quod maximè procuravit quidam Henricus filius Suenonis, fratris ejusdem regis Nicolai. Erat & tunc quidam Henricus Rex Slavorum, qui ex Dacis natus pugnavit graviter contra Dacos. Sed compeſcuit eum Dux Canutus. Nec invenitur inter Reges Daciæ aliquis rex Henricus, licet in geſtis S. Ansgarii legatur, quod rex Henricus direxit S. Ansgarium de Dacia ad Regem Sueciæ cum Nuncio ſuo & litteris. Sed ille erat Rex Saxonum aut Imperator, cum Conrado qui Daciam intravit exercitu ad compeſ-

pescendum regem Danorum Gorm, qui fidem persequebatur, & novellam plantationem crudeliter extirpabat. Habuit autem Rex Nicolaus filiam regis Ingonis de Sueciâ nomine Margaretam, nescio si ex ea genuit illum Magnum.

Narrat insuper Danorum Chronicon, quod Rex Ericus frater Canuti Ducis, occiderit in bello hunc Magnum cum omnibus Episcopis Iuthiæ, & Henrico Episcopo Sueciæ. Item dum diu bellarent iste Ericus, & ille Magnus adjunctus patri suo Nicolao, sic dicit Chronicon Daciæ: Quod cum Sueci audissent quod Rex eorum, ille scilicet Magnus guerras & bella foveret in Dacia, elegerunt sibi regem quendam Suercherum. Azerus autem primus Archiepiscopus Lundensis obiit anno Domini MCXXXVII. & ei succedit Eschillus Episcopus Roschildensis.

Posteà regnavit Suercherus aliàs Suerkillus, & hunc 51.
cùm esset nobilis, utputa filius Baronis Cornubæ, ele- *Suer-*
git in Regem de Ostrogothia communitas rusticorum, ut *cherus.*
à majori parte denominato fieret. Hic instituit monasterium Alvastra, misso conventu de Claravalle tam illuc, quam in Varnhem anno Domini MCL. Erat autem eo tempore virgo quædam nobilis in Norvegia, quam Rex Daniæ Nicolaus promissâ fide ducturus erat uxorem: sed hic Suercherus eum præveniens, conjugem illam accepit, & genuit ex ea filium nomine Carolum, qui ei in regno Gothorum successit. Anno deinde MCLI. Suercherus occisus est à stabulario suo, nocte Nativitatis Christi inter Alebeck & Tolfsta, dum iret ad audiendas preces matutinas, sepultusque est in Alvastra, & positus sub lapide magno circa summum altare.

Quidam putant Carolum filium Suercheri electum fuisse à suis Ostrogothis ante S. Ericum, ideoque cum Magno & Henrico cæterisque hujus sceleris complicibus manum dedisse, ut S. Ericus occideretur. Invenitur tamen hunc Carolum ab Ostrogothis electum anno Domini MCLII. cum certum sit S. Ericum X. annis regnasse, & anno Domini MCLX. occisum; Vnde constat quod anno Domini MCL. sit electus. Cum dein Ericus frater S. Canuti Ducis

re-

regnum Daciæ gubernaret, Eſchillus tunc Epiſcopus Roſchildenſis, poſt ea Archiepiſcopus Lundenſis, avertit ab eo populum, nec permiſit eum intrare Selandiam. Tum Rex collecto exercitu intravit cum potentia, & Epiſcopum Eſchillum captivavit, ac occidiſſet eum niſi pro eo nobilium multitudo interceſſiſſet. Redemit ergo vitam XX. talentis auri. Hic Eſchillus poſtquam factus eſſet Archiepiſcopus Lundenſis, veniente in Scaniam quodam Olao de Norvegia filio Haraldi, cum pro Rege ſuſceptus fuiſſet, collecto exercitu de Lundis & aliunde, pugnavit contra eum & ſuccubuit, fugiensque ad Lundam obſeſſus eſt ab Olao; ad præſtandumque juramentum fidelitatis extortus, & hoc modo evadens, tranſtulit ſe ad Regem Ericum Lamb in Selandiam, qui priori Erico ſucceſſit in regno, & obtento exercitu proprio, contraveniens juramento pugnat contra Olaum & ſuccumbit, unde Olaus loco ejus quendam alium Eſchillum inſtituit. Hic Olaus poſt varios congreſſus vincitur ab Erico, & Eſchillus reſtituitur. Ericus verò Lamb rex Daciæ obiit monachus anno Domini MCXLVII. poſt mortem cujus duo in diſcordia eliguntur in Dacia Reges. Nam Scanenſes & Selandenſes elegerunt filium Erici Lamb; Iuthones autem elegerunt Canutum filium Regis Magni filii Regis Nicolai. Hi duo continuis bellis ſe & regnum Daciæ affligebant. Sed Valdemarus filius S. Canuti Ducis regnum Daciæ totum aſſequitur.

Quo tempore fit ſchiſma inter Alexandrum & Octavianum; Otto quidem annuente Octaviano, ex voluntate Regis Valdemari fit Epiſcopus Sleſvicenſis. Sed Archiepiſcopus Eſchillus eum repudiat ut excommunicatum, unde Rex commotus eſt contra Archiepiſcopum. Ille verò graviùs contra Regem, vocans ad ſe Abſolonem Epiſcopum Roſchildenſem, & mandans in virtute obedientiæ, ſub graviſſimis pœnis, ut ille Regem Valdemarum in perſona accedat, & dicat ei ex parte Archiepiſcopi, quod niſi coram eo ſe emendaverit in cauſſis quas contra eum habebat, quas & Epiſcopo Roſchildenſi expreſſit, ipſe vellet arma contra eum erigere, & brachio ſeculari contra eum uti. Mandavit inſuper Gerhardo Abbati Eſromenſi, ut ipſe pariter cum eo Regem accedat, & attendat ſi Epiſcopus Abſolon commiſſa ſibi ab Archiepiſcopo fideliter exequeretur. Rex igitur ſibi propoſitis

ſitis auditis, reſpondit iratus quod Archiepiſcopus Eſchillus prius bibiſſet de ſanguine Regio, & jam ſuum ſanguinem ſitiret. Intellecto autem Regis reſponſo per Abbatem Gerhardum, Archiepiſcopus fugit in Verendiam; Rex verò obſeſſo caſtro ejus accepit illud, & Archiepiſcopus vix tandem pacificè poſſe vivere impetravit. Hic Valdemarus multa magnifica geſſit in Slavonia & Ruſſia &c. Patrem ſuum Canutum Ducem impetravit canonizari, unde die electâ, id eſt, die Iohannis Baptiſtæ facit oſſa patris ſui elevari, & ſuper altare poni, & eum pronunciari Sanctum, ac filium ſuum Canutum, aliàs Carolum coronari Ringſtadis per Archiepiſcopum Abſolonem, Archiepiſcopum tertium Lundenſem, per quē omnia ſua geſſit, qui totus temporalis & iñ bellis victorioſus, multam ſtragem fecit, neſcio qualis Archiepiſcopus factus. Hic Valdemarus primus rexit XXVII. annis, & obijt anno Domini M C L X X X I I. unde patet ipſum regnaſſe in Dacia ante S. Ericum & poſt mortem, & toto tempore quo rexit in Succia S. Ericus. In geſtis autem hujus Valdemari legitur,quòd Magnus filius Erici,qui captus fuit in occiſione Regis Suenonis, & Carolus & Canutus conſpiraverint in mortem regis Valdemari, & cum hoc Regi detectum fuiſſet Carolus & Canutus fugerunt in Sueciam. Magnus autem captus coram Rege id fatebatur. Sed & poſteà contra Regem nihilominus conſpiravit & inde occiſi ſunt. Veriſimile eſt hunc fuiſſe Magnum qui occidit S. Ericum, vel alium aliquem, non quidem Regis filium, ſed cujusdam Henrici Scatelers. Nota hic, Sueno rex & Canutus coram Imperatore Friderico concordati ſunt,quod Sueno maneret Rex, Canutus autem partem regni haberet. Sed Canutus & Valdemarus eum ejecerunt, Dux verò Brunſuicenſis eum reſtituit. Inde Sueno vocavit. Canutum & Valdemarum ad quandam ſolennitatem Roſchildiam, ubi Canutus occiſus, Valdemarus vulneratus vix evaſit. Poſt hæc diu invicem bellantes, Suenone tandem capto & occiſo, ſolus Valdemarus regnavit anno Domini MCLV. Archiepiſcopi verò primi Lundenſes fuerunt: Azarus, Eſchillus & Abſolon.

Anno autem Domini MCLX. regno Succorum vacante, Ericus Ieduardi filius propter innatam ſibi clementiam, & vitæ bonitatem conſpicuam, dilectus à Principibus terræ & omni 52. *S.Ericus.*

omni populo, in Regem unanimiter eligitur, & in regni solio apud Vbsaliam honorificè sublimatur. Extitit enim tam regali prosapiâ quam nobilium Sueciæ Procerum oriundus. Concurrunt in hac Regis electione quamplurima, quæ hujus Regis prorogativam extollunt & mirificant dignitatem, videlicet temporis arduitas, providendi necessitas, personæ idoneitas, concors eligentium voluntas. Verum quia hæc junioribus in promptu non sunt, aliqua sunt ex his paulisper latius explicanda. Temporis arduitas est mystica quædam ratio quod hoc decursu temporis de tali persona regni provisioni divinitus provideretur. Non enim putandum est divino vacare mysterio, quod tali anno gratiæ, talis Rex à Deo potius quam ab homine sit electus: nam Mille, Centum & Decē, unde Quinquaginta replicantur, sunt apices numerorum: Sed & L. annus, jubilæus est annus, videlicet remissionis, restitutionis & integræ libertatis. Hac ergo temporis designatione, verisimile est aliquid mysticum importari, maximè cum etiam eo tempore sit missus in Sueciam ex Britannia vel Anglia S. Henricus Episcopus, vir vitæ bonitate conspicuus, & morum honestate præclarus, qui tunc Vbsalensem regebat Ecclesiam, ut his duobus capitibus quasi duobus luminibus magnis, populus terræ illius adhuc in divino cultu novellus, ad veri Dei noticiam illustraretur, dirigeretur & doceretur. Providendi necessitas ex regni vacatione perpenditur, ne tantum regnum velut acephalum sine capite remaneret. Quando enim non erat Rex in Israël, faciebat unusquisque quod voluit, & sic in idololatriam populus est prolapsus. Quæ quidem vacatio intelligi potest sive de jure, sive de facto, sive utroque modo regnum vacasse dicatur. Dato enim, sicut habent quædam chronicula, quod ante S. Ericum Carolus filius Suerkeri in regem fuisset electus, nihilominus regnum etsi non de facto, de jure tamen vacabat. Non enim illa partialis & privata Ostrogothorum electio potuit veris electoribus præjudicium generare. Iam enim dudum per primum regem Sueciæ Christianum Olaum Schotkonung fuerat, Lege in perpetuum observandâ, cum consensu omnium stabilitum, quod Reges hujus regni non Gothorum, sed Sueciæ debeant nominari. Ac per hoc non à Gothis, sed à Suecis, dum sibi condistingvuntur, sunt in perpetuum eligendi.

Quo-

Quorum enim est Rex, illorum est & electio. Sed & illi, qui primum in regnum jure electionis intravit, Ingoni scilicet filio Philimeri, constituta est sedes & Solium apud Vbsaliam, cum decreto perpetuo sic manendi, ut non sit pro Rege habendus qui non fuerit apud Vbsaliam sublimatus; unde Morasten locus est ab antiquo delectus. Personæ verò idoneitas, à vitæ sanctitate & generis nobilitate commendatur. Et quidem vitæ sanctitas, ex gestorum & totius vitæ progressu evidenter agnoscitur. Erat enim assiduus in orationibus, creber in vigiliis, frequens in jejuniis, in afflictionum calamitate compatiens, in eleemosynis pauperum largus, & illius castimoniæ singularis, ut carnem suam jugi cilicio contriverit, & ne levi quidem contagione macularetur. Castitas etiam mentis insurgentes aliquando carnis motus illicitos, aquæ gelidæ respersione fugabat. Quod enim in Rege dixerim castimoniam singularem, cum nec Monachi nec Clerici, Dominici corporis, & sacri altaris mysterio consecrati, tale studium impendant castitati. Sanguinis denique nobilitas, ex his quæ de eo leguntur in Ecclesia, perdocetur; Sic enim de eo legitur: Extitit enim tam Regali prosapia, quam nobilium Sueciæ Procerum oriundus. Tanta siquidem est Ecclesiæ autoritas, ut cuilibet certitudini post divinam, etiam Angelicæ præferatur. Non enim, ait Augustinus, crederem Evangelio, nisi me Ecclesiæ autoritas commoveret. Sicut autem Ecclesia visibilis errare non possit in his quæ sunt fidei, & necessitatis ad salutem; sic etiam particularis non errare præsumitur in his quæ apud eam publicè & notoriè gesta sunt; maximè in his quæ ad divinam laudem sunt in canticis publicè recitanda: Quid enim opus fuisset Prælatis de Viro sancto vel falsa commentari, vel ab aliis dictata comprobare, & Ecclesiæ legenda demandare? Cum utique in majorem laudis materiam Regis & Martyris accessisset, si de humili domo & vulgari progenie processisset; & nihilominus ad tantum culmen honoris, omnibus acclamantibus provehi meruisset. Sic enim omnibus claruisset, quod mirabili quodam & inusitato virtutum jubare nituisset, ac per hoc ut ad aures vulgi Nobilis ex parentela diceretur; hominum mendacio minimè eguisset: Quod sicubi inveniatur expressum, sanctum hunc Regem de generatione vulgari progenitum, fateamur oportet; quis

enim vel Imperatorum de vulgari prosapia non duxit originem, cum non natura natalium diversitatem attulerit, sed fortuna? Si quis verò de proximis progenitoribus judicandum contenderit, & patrem ejus rusticum fuisse putaverit, nunquid eo concesso, verum esse non possit, quod de Regali processerit parentela. Si enim S. Ericus ante adeptam regiam dignitatem filiam habuit regis Ingonis, atque venerandæ Ragnildis reginæ suæ; nobiliorum utique sobolem, virtutis & sanguinis cujuslibet regiæ parentelæ, quale inconveniens esset, & patrem suum uxorem stirpis Regiæ habuisse, & vel sic ex linea materna regalem duxisse originem? Cum in caussis ingenuitatis fœtus conditionem sequatur ex ventre. Sed quid inter parentelas hominum distinguimus? Ab uno patre descendimus omnes. Taceo quod Abraham vir justus ex ancilla & libera filios voluit generare. Et quod Iacob patriarcha, unde XII. Patriarchales processêre progenies, ex duabus uxoribus, & duabus ancillis suis filios, Israëlitici generis capita, procreavit, ut universitatis humanæ successio, de parentum conditione incerta, & utrum de Libera vel Ancilla descenderit semper ignara de se, generositatis ambiguæ gloriam non extollat. Titulos enim Saræ vel Rachelis, quos illis quandoque adscribit vana & vulgaris opinio, proscribit & abolet nequitia in moribus, & servitus in peccatis, ut se filios ancillarum conversatione testentur, qui de aliorum virtute quam apud se non esse noverunt, inflantur: Porrò filii Iacob sive de Libera, sive de Ancilla progeniti, terram promissionis in funiculo distributionis æquali portione sortiti sunt.

Beato autem Erico per palmam martyrii feliciter consummato, occisores ipsius (quorum fuêre præcipui quoad Dacos, Henricus Scateler & Magnus Hinricson) mansionem regalem & bona Martyris truculenter occisi, velut lupi sævientes ingressi, diviserunt sibi quæ poterant reperire. Deinde quasi regni possessionem adepti, cæperunt de gubernatione ejus esse soliciti, præficientes in regem eundem Magnum Hinricson nepotem regis Ragualdi ex filia, tanquam aliquid apparentiæ justi tituli prætendentem, & præ aliis jus regnandi, licet perperam, vendicantem. Sed conversus est dolus ejus in caput ipsius, & in verticem ipsius iniquitas ejus descen-

ſcendit. Continuò enim ut hæc feralis & truculenta occiſio Regis ſancti per regnum diffuſa eſt, & rumor inſonuit, tanquam de occiſi patris interitu dolor univerſos invaſit, omnesque accinguntur ad arma, & in ultionem tanti ſceleris potenter inſurgunt. Egreſſo igitur de Helſingia primum exercitu, quo fortè Regales miniſtri S. Erici familiares, qui evadere potuerunt, confugerunt, reliquæque pariter nationes in eandem ſententiam concurrunt, ut glorioſi Regis ſui innocenter effuſum ſanguinem ulciſcantur; ſicque omniquaque multitudine accurrente, Rex prætenſus & vilis, indignus decore regio, dignas luit ſupplicii pœnas, & non longè ab Vbſalia cum ſuis ſuperatus occubuit, quo loco Ecclesia Danemarka dicitur eſſe conſtructa. Quis enim unquam innocentiæ perſecutor, ultricem illius manum qui aufert ſpem Principum, legitur evaſiſſe, ut de pœna taceam generali? Sed quid ad hæc Carolus Suerkeri regis filius (dudum jam electus in Regem, & regni principatum adeptus; jam enim biennio regnaverat dum S. Ericus occiditur) fecerit? Dicitur enim ipſe regem hunc Magnum tanquam rex Sueciæ occidiſſe, & nedum à regno, ſed & à vita pariter expuliſſe. Sed licet ille cum aliis Regnicolis in extirpationem Danorum, & occiſionem Regis iniqui concurriſſe dicatur; non hoc tamen ad vindictam innocentis mortis S. Erici, ſed ut regnum ſibi liberum & integrum ſervaretur, egiſſe putandum eſt. Et credendum eſt filium ſancti Erici Canutum, anhelo corde & ferventi animo in vindictam paterni cruoris impatientiſſimè aſpiraſſe; jam enim tum veriſimile eſt eum virilis roboris audaciam, & militaris induſtriæ aliquantam attigiſſe peritiam, utputa qui poſt exinde ſeptennium, regem Carolum potentem & pleni juris in regno, gladio militari occidit. Nota quod mater Magni Hinricſon, fuerit Ingridis filia Ragvaldi regis filii Ingonis ſenioris.

LIBER TERTIUS. HISTORIÆ SVECORUM GOTHORUMQUE.

53. *Carolus.* POstquam vero Magnus ille, qui rege S. Erico occiso, regnum Suecorum invaserat, suorum gestorum condignam accepisset cum suis complicibus ultionem, Carolus Suerkeri regis filius, ad optatam regni Suecorum possessionem pervenit. Diu enim S. Ericus obstaculum ei regnandi præstiterat; sed hoc ei Magnus Hinricson amovebat, quod ipse in persona non poterat, ac deinde idem Magnus seipsum obicem ingerebat. Quod quia non solum Carolo regnare volenti, sed toti pene regno Sueciæ displicebat, via faciliori compescuit. Regnavit igitur Carolus annis X. vel circiter; nam ante mortem S. Erici regnavit biennio; & postea annis quasi octo. Nam anno Domini MCLXVIII. occisus est in VVisingzö per Canutum filium S. Erici, vel pro eo quod consenserit cum his, qui S. Ericum occiderunt; in hoc opere detestando; Et nedum consensit, sed, ut quidam putant, occulte induxit, vel ideo, ut Canutus sublato de medio Carolo, regni gubernaculo, potiretur. Anno Domini MCLXII. fundatum est monasterium VVreta ab eodem Carolo; & anno regni illius quinto, nempe anno MCLXIII. consecratus est Stephanus primus Archiepiscopus Ubsalensis, procurante, ut creditur, rege Carolo; eo quod hic Stephanus esset monachus de Alvastræ monasterio, quod fundavit Suerkerus pater Caroli, ubi & ipse sepultus est in sepulchro patris sui.

Anno VI. hujus Caroli, hoc est, anno Domini MCLXIV. Magi translati sunt Coloniam. Et eodem anno canonizata est S. Helena ab Alexandro Papa III. per Stephanum Archiepiscopum Ubsalensem, qui & præsens erat cum Eschillo Archiepiscopo Lundensi, in translatione Beati Canuti in Ringstada, & multa in Dacia operatus est. Hic Carolus pacifice rexit, pacem habens cum Dacis, unde notorium est illum Magnum Hinricson, quem ipse occidit in Suecia, nihil honoris aut amoris in Dacia habuisse. Anno regni ejus tertio

tertio scilicet anno Domini MCLXI. conventus mittitur in Sorum, & in Turam Vallem. Anno vero MCLX. quo scilicet occisus est S. Ericus, venit conventus in Saba.

Hoc tempore sub Friderico primo, gesta sunt illa bella durissima Christianorum contra Soldanum in terra promissionis; ubi magnalia fecerunt Christiani. Tamen brevi tempore post finaliter perditur, nec unquam potuerat Ierusalem recuperari, licet fortissime per Francos & Anglicos & caeteros sit pugnatum. Hoc tempore Alexander Papa III. vicit IV. schismaticos Antipapas, scilicet Octavianum, Guidonem, Iohannem, Loudonem. Primus se fecit vocari Victorem, secundus Paschalem, tertius Calixtum, quartus Innocentium, quorum fuerunt presbyteri Cardinales per Papam excommunicati, qui malâ morte perierunt. Terrae motus XV. annis nunc fiebat, quo tempore perierunt Antiochia & Damascus.

Canutus deinde S. Erici filius regnum Sueorum acquisivit gladio, postquam triennio exulaverat expulsus à regno, 54. Canutus.
in Norvegia interim commoratus. Hic enim resumptis viribus reversus in patriam, occidit regem Carolum in VVisingzö, eò quod in necem S. Erici patris ejus fuerit machinatus, & forte eundem Canutum ejecerit ex regno. Occidit etiam Kool & Burisleff reges (nescio si isti fuerint filii Caroli) & multis contra se pugnantibus victor evasit; multo enim sudore & bellis gravissimis regnum acquisivit. Deinde pacificè & quietè regnavit XXIV. annis, & mortuus sepultus est in Varnhem, anno MCXCII. Hujus tempore, scilicet anno Domini MCLXXI. S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis martyrizatur. Hujus tempore, scilicet anno Regni IX. facta est cum eo emptio in Ekol. Hujus quoque tempore, scilicet anno MCLXXV. passa est B. Margareta Roschildis.

Nota quod à tempore S. Erici & Caroli regum, hae duae progenies sint continuatae in regia potestate vicibus alternatis; vel utroque regno, scilicet Sueciae & Gothorum concorditer id agente, eo quod Vplandenses S. Ericum, Ostrogothi verò Carolum elegissent, vel ex aliqua dispensatione, divina providentia faciente; vel quia una progenie alteram, ut assolet, prosequente, reliqua interim sibi de assistentia necessaria

 pro-

provideret. Sic enim continuatum est usque ad Birgerum Ducem, patrem Valdemari & Magni regum. In quibus nihilominus sangvis B. Erici perpetuatus est in regno, usque ad Magnum regem ultimum Sueciæ, eo quod Dux Birgerus filiam habuerit sororem Erici Lespe regis pronepotis S. Erici.

Hoc tempore regnante Henrico imperatore (qui valdè gravis & injuriosus erat Ecclesiasticis personis, unde & ab Innocentio III. excommunicatus est) tanta erat aëris intemperies à ventis & pluviis, grandine & coruscationibus pene VIII. annis, quibus regnavit idem Henricus, quod & arbores, & omnia terræ nascentia destruerentur. Ruebant enim lapides cum pluvia & grandine, quibus animalia necabantur, & visæ sunt aves volantes in aëre ignem deferentes in rostris, domos & nemora incendentes. Eo quoque tempore Valdemarus rex accepit ab Imperatore Friderico dominium super omnia regna trans Albim, scilicet Daciam, Sueciam & Norvegiam sub Bulla Innocentij III. & Bulla aurea Imperatoris. Sed litteras has obtinuit regina uxor Abelis regis, & confregit ac annihilavit ob odium quod habebat in Dacos. Hic VValdemarus obijt anno Domini MGLXXXII. qui rexerat annis XXVII. Vnde regnavit tempore S. Erici & Caroli & Canuti. Anno Domini MCLXXVII. Eschillus Archiepiscopus Lundensis resignat, & intrat Claram Vallem & Absolon Episcopus Roschildensis, ille triumphator in bellis, ei in Archiepiscopatu succedit, ac sol obscuratus fuit. Anno Domini MCLXXXV. obijt Stephanus primus Archiepiscopus Vpsalensis, XV. Kalend. Augusti, sepultusque in Alvastra in capitulo monachorum. Mortuo rege VValdemaro in Dacia, filius suus Canutus in Iuthia regni diadema suscepit; Quo audito Scanenses elegerunt sibi de Succia regem quendam Haraldum, sed pugnante contra eum, & contra rusticam multitudinem, quæ eum assumpserat, Absolone Archiepiscopo, coactus est idem Haraldus in Succiam redire, regia dignitate dimissa. Huic Canuto opposuit se VValdemarus Episcopus Slesvicensis, & transiens in Norvegiam, & rediens cum exercitu pugnavit contra eum; Sed captus tenetur in vinculis XIV. annis, scilicet usque ad mortem Canuti, donec frater Canuti VValdemarus regnum acciperet. Anno Domini MCLXXXVII. occisus est Iohannes Archiepiscopus

Vbsa-

Vbſalenſis apud Almerſteek à Paganis, pridie Idus Auguſti, & ſepultus eſt Vbſaliæ. Tunc etiam combuſta eſt civitas Sigtuna ab iisdem Paganis Anno Domini MCXCV. Colo Epiſcopus Lincopenſis & Dux Finlandiæ obiit. Anno Domini MCXCVII. Petrus Archiepiſcopus Vbſalenſis obiit, & poſt eum anno Domini MCXCVIII. eligitur Olaus Lambatunga in Archiepiſcopum Vbſalenſem.

Mortuo rege Canuto S. Erici regis filio, ſucceſſit ei in regno. Suerkerus ſeu Suerkillus Caroli regis filius, vir prudens & elegans, & regnum Sueciæ prudenter, fideliter & pacificè gubernans. Dicitur autem in chronico Danorum, quod Canutus rex Daniæ VValdemari filius, vicerit Finlandiam anno Domini MCXCII. quod ſi verum eſt, hoc modo potuerat contigiſſe; Quod dum Canutus rex Sueciæ ſenio & multo bellorum labore gravatus decubuit in extremis, vel inter Canutum & Suerkerum regno vacante, Rex Daniæ tale aliquid attentaverit. Hujus verò Suerkilli tempore, ſcilicet anno Domini MCCIII. mortuo Canuto rege Danorum, ſucceſſit in regno frater ejus VValdemarus. Hic fecit Erlingum regem Norvegiæ & Philippum Ducem. Hic etiam duxit Daghmer filiam regis Bohemiæ uxorem. Qui etiam VValdemarus emiſit immenſum exercitum contra Suecos, præficiens & conſtituens Ducem exercitus principalem Ebbo Sonaſon, bellumque commiſſum eſt in Lena VVeſtrogothiæ, ubi exercitus Danorum adeò contritus eſt, ut non relinquerentur ex eo duo pariter, tantaque ſtrages Danorum eſt facta, ut memoria remaneat in filios filiorum, unde & metrice dicitur: 55. *Suerkerus.*

Contigit in Lenum duo Danske lupo foer enom,
Aff Svenskom Svenom togo dorſum verbere plenum

Ibi occiſi ſunt Laurentius & Ebbo filii Sunonis de Selandia, nobiliſſimi, ſtrenuiſſimi & famoſiſſimi bellatores. Tunc fugatus eſt Suerkerus rex cum Danis reſiduis, anno Domini MCCVIII. Anno autem Domini MCCX bellum fuit in Geſtilreen, ubi occiſus eſt rex Suerkerus; & Dux Folcho cum aliis multis, ceſſitque victoria Suecis. Nam rex Suerkerus occidit filios regis Canuti filii S. Erici in Eliaars, ſolo Erico evadente & in Norvegiam fugient; Vnde Vplandenſes contra eum gravi livore ſuccenſi ſunt, Anno Domini

MCCII, Dux Birgerus primus obiit: Eodemque anno Canutus rex Daniæ obiit, & coronatur. VValdemarus secundus in regem: De quo hic nota, repetendo priora, quod de Suenone rege Daniæ filio Vlphonis Sueci, & Estridis sororis Canuti Rijke, fratris Olai Schotkonung / nati sint S. Canutus rex & Ericus Egodh pater Canuti Ducis sancti, cum multis aliis, ut supra; Primus scilicet S. Canutus rex unum habuit filium, scilicet Carolum Comitem Flandriæ, & duas filias, scilicet Ceciliam & Ingerdem: Ingerdem duxit Folcho nobilissimus Suecorum, & genuit ex ea Benedictum patrem Magni Minneskiold: VValdemarus verò filius Canuti Ducis sancti, genuit Reschissam reginam Sueciæ, quæ genuit Ericum regem Sueciæ & Ingeburgem Ducissam uxorem Ducis, quæ Birgeri genuit reges VValdemarum & Magnum Ladulas.

56. *Ericus X.* Anno Domini MCCX. coronatus est Ericus filius Canuti filii S. Erici, qui fugerat à facie Suerkeri dum fratres ejus occiderat. Hic regnavit annis VII. laudabiliter & pacificè, erantque anni fertiles eo regnante. Obiit autem in VVisingzö anno Domini MCCXVI. & sepultus est in Varnhem in sepulchro patris sui.

Anno Domini MCCXIX. obiit Valerius Archiepiscopus Vbsalensis, VIII. Idus Aprilis, sepultusque est Vbsaliæ Anno Domini MCCXX. occisi sunt Carolus Episcopus Lincopensis, & Carolus Dux in Rotala à Paganis: Anno Domini MCCXX. obiit Rechissa regina Sueciæ; & sequenti anno Berengaria regina Daciæ, mater Erici, Abelis & Christopheri. Anno Domini MCCXXX. bellum fuit in Olustrum, & fugit rex Ericus in Daciam. Eodem anno consecratus est Vlpho in Archiepiscopum Vbsalensem. Hoc tempore Tartari ab oriente egressi, omnia subjugant & devastant Vngariam Poloniamque inclusivè. Hoc etiam tempore gesta sunt illa impiissima bella Friderici Imperatoris adversus Ecclesiam. Hic denique Ericus rex filius Canuti, habuit Rechissam filiam regis Daciæ VValdemari, & genuit ex ea filium Ericum scilicet Læspe, & Ingeburgem uxorem Ducis Birgeri.

57. *Iohannes I.* Anno Domini MCCXXIX. electus est in Regem Iohannes filius Suerkeri regis in sua pueritia, & dicebatur Iohan

Vnge

Vnge, item Iohannes pius, qui tribus tantùm annis portavit nomen regium, & morte naturali finivit vitam in VVisingzö, sepultusque est in Alvastra anno Domini MCCXXII. Hoc tempore Rex Daciæ VValdemarus cum M D. longis navibus venit in Esthoniam, & eam subjugavit ac ad fidem convertit. Huic VValdemaro Comes Henricus de Svverin, iturus ad Terram Sanctam, commisit terram, uxorem & filios defendendos. Sed eo absente Rex uxori ejus condormivit, ut quidam putant: Reversus verò Comes & hoc intelligens, eundem Regem cum filio suo furtim captos ex Dania asportavit, & in castro Suerinensi tribus annis detinuit, donec eos Daci redimerent XL. millibus librarum argenti puri, cum juramento quod nunquam hanc suam injuriam per se, vel per alium vindicaret. Ipse verò solutus, missis ad Papam Nunciis, fecit se à juramento absolvi, & congregato exercitu, pugnaturus contra Comitem, obvium eum habuit cum Lubecensibus & cæteris & circa Bornahuudh commisso bello fugatus est Rex, & uno oculo privatus, & tota penè gente sua prostrata, ipso die profecto Mariæ Magdalenæ difficulter evasit. Cum autem adeò esset tunsionibus & ictibus conquassatus, ut pene insensatus esset, miles quidam suus sed Alemannus furtim eum rapuit, & in equo cui insedit Regem coram se ponens, cursu præcipite eum detulit in Kilonem, A. D. MCCXXVII.

Anno autem regni sui XXVI. Anno Domini MCCXXIII. coronatus est in Regem Sueciæ Ericus filius Erici regis, filii Canuti S. Erici regis filii, qui blæsus erat & claudus, homo aliàs seriosus & justus, faciens omnibus in regno suo justiciam exhiberi. Habuit autem tres sorores, quarum unam quæ Helena vocabatur, duxit uxorem Dominus Canutus Folchungus, vir prudens in consiliis & facundus. Secundam quæ vocabatur Mereta, duxit Dominus Nicolaus de Toffta, vir pacificus, justus & quietus; & genuit ex ea filium Ambernum, qui genuit Vlphonem, Vlpho Carolum Legiferum & artium liberalium Magistrum. Zelantes ergo Folchungi pro suo Canuto, tanquam pro eorum præcipuo & Regij sanguinis uxorem habente, cæperunt Regem contemnere, & se contra eum potenter erigere, dicentes suum Canutum magis dignum esse imperio, tanquam virum

58. *Ericus Balbus*

virum elegantem & integrum, consiliis & facundiâ præpollentem. Erant ergò præcipui in hac Liga, ipse Canutus gener Regis, Carolus, Haraldus & Hollingerus. Hi collecto exercitu contra Regem convenerunt in pugnam, & bello durissimo in Olastrum, anno Domini MCCXIX. Folchungenses triumphabant. Et fugit rex Ericus in Daciam, & Canutus mox eligitur in Regem, sed brevi tempore gaudebat de principatu taliter acquisito. Rex enim quā velocissimè reversus à Dacia, manu valida partē adversam aggreditur, & conveniente utroque exercitu circa Sparsetra, victoria cedit Erico regi, Canuto occiso, & suis aut fugatis aut prostratis. Tunc Hollingerus fugit in Gestriciam, quem servi Regis continuo persecuti sunt, & ibidem apprehenderunt. Quem decapitatum fecit Rex in monasterio Schogh, sicut ipse desiderabat, honorificè sepeliri, ubi & miraculis dicitur coruscare. Tertiam Regis sororem duxit Birgerus de Bielbo, & genuit ex ea IV. filios, & II. filias. Hic est Birgerus Dux Sueciæ de quo dicetur inferius. Rex igitur Ericus pace sibi concessa, & regni dominio inconcusso, ad convertendas gentes incredulas, regno suo vicinas, & nocivas, animum dedit. Erant autem tunc Tavasti increduli & Christiani nominis persecutores sævissimi; ideoque ad hos domandos & debellandos, aut quod potius deligendum erat, ad Christum convertendos, rex Ericus expeditionem dirigit universi roboris regni sui. Huic autem exercitui multitudinis universæ, generum suum Birgerum de Bielbo Ductorem præfecit, & curam commisit totius negotij exercitus dirigendi. Parantur igitur extemplò naves, expensæ & armorum nimius apparatus, ac quos tetigit ordo navigandi, accincti ad prælium naves intrant. Nec partem latebat adversam, quod adversus eam tot arma sumerentur, unde & sibi necessaria providet munimenta. Afflante igitur vento prospero, brevi temporis spacio mari transito, Suecorum navalis exercitus applicuit portui Tavastorum. Iam autem quid acturi essent dudum deliberato, relictis navibus & vexillis erectis, omnis multitudo armata terras ingreditur, ferocibus animis in hostium castra irrumpens, fugitque pavore deterrita hostium turma, sequitur à tergo victrix Suecorum audacia, & opulentam prædam fugientium apprehendit. Datur nihilominus optio fugientibus, ut qui vellent

vellent fierent Christiani, vitâ & bonis sibi salvis remanentibus; alioquin tam vita quam bonis exciderent. Multis igitur Christianis effectis, validissimis muris fortalitium extruitur, & Tavastaborg appellatur, ac munitione necessariâ roboratur, custodibus deputatis. Quibus gestis, & terra Tavastiæ Christianitati ascriptâ, moritur rex Ericus anno Domini MCCL. ipso die Purificationis, & ita ab electione S. Erici, usque ad mortem hujus Erici fluxerunt anni C. Erat autem hoc tempore in regno Suecorum Miles quidam famosus & potens, cujus erat habitatio Gröneborg non longè ab Enecopiâ. hic regno vacante mortuo rege Erico, curam gessit Reipublicæ, & quæ agenda erant, cæteris consentientibus disponebat. Erat autem illius authoritatis apud omnes, ut facta ejus tota populi Communitas approbaret. Mortuo proinde Rege præfato, hujus Militis, cujus nomen erat Ioarus Blaa, consilio & authoritate eligitur in Regem VValdemarus filius Ducis Birgeri, qui adhuc in Tavastia agebat cum exercitu quem ducebat.

Anno Domini MCCXL. moritur VValdemarus rex Daciæ, & succedit ei Ericus filius suus. Hic pius & justus à fratre suo Abele dolosè capitur & occiditur, anno Domini MCCLII. & hic Sanctus est; Succedit ei Abel & in Frisia occiditur. Inde regnat Christopherus qui captivabat Iacobum Archiepiscopum Lundensem, & ponitur interdictum in regno Daciæ. Anno autem Domini MCCXLVIII. obiit Folcho Dux Suecorum, eodemque anno Hollingerus Miles decollatur, sepultus in monasterio Schogh. Eodem anno moritur Thomas Episcopus Aboënsis. Percepta deinde in Tavastia morte regis Erici, cum jam omnia essent ad laudem Dei, & Suecorum voluntatem feliciter expedita, Dux Birgerus & universus exercitus sibi commissus, in patriam cum gloriosa victoria remearunt. Auditis autem quæ facta fuerant super electione Regis, idem Dux Birgerus regni cupidus molestè ferebat & invidebat, quod eo prætermisso filium suum elegissent in Regem, non quia filio invideret, sed qui sibi ipsi plus faveret. Convocatis igitur ad colloquium universis, qui electioni interfuerat; & qui interesse debebant, Dux Birgerus surgens in medium, & quasi electionem irritam facturus interrogat, quisnam præsumpsisset in ejus

ejus absentia Regem constituere, maximè talem qui nec dum ætatem, nec scientiam haberet regendi? Miles ergo præfatus Ioarus Blaa se id fecisse testatur; caussam assignans & dicens, quod idem Birgerus licet plurimum, ut dicebat, idoneus, senio tamen jam gravatus, putabatur libentius supportatus: Et cum nec sic esset ille contentus, addidit ipse Miles Ioarus: Si quod gestum est omnino tibi displiceat, fac de tuo filio quod tibi placuerit, nos facilè inveniemus quem in Regem eligemus. Tacuit ille paulisper, deinde dixit: *Quem ergo eligetis, cum absque Rege subsistere non possitis;* quasi adhuc spem habens quod ad eum converterent vota sua. Ad hoc Ioarus: De tunica qua induor Regem excutiemus. Tunc ille metuens ne forte tam ipse, quam filius honore Regio privaretur; ratum se habere asseruit quod per eos de filio erat gestum: Habuit verò Dux Birgerus I V. filios, quorum senior vocabatur VValdemarus, & hic electus etiam in Regem; II. Benedictus; III. Magnus; IV. Ericus. Erant autem omnes adhuc juvenes eo tempore, & ad regendum inepti, unde senior, cui ex officio cura regendi incumbebat, datus est gubernator, hinc cum in singulis dirigebat Miles quidam providus & discretus. Et hic quidem personam Regis custodiebat in moribus, ac in regendis per eum singulis informabat, & tam ipsum quam familiam ejus quotidianam regebat. Dux autem Birgerus pater Regis, de Regni gubernatione se sollicitius intromisit, dispensans ac
59. dividens filiis suis, prout unicuique suppetebat.

Valemarus. Eo tempore creverunt Folchungi in numero & potentia, erantque parati ad multa mala, quæ etiam opere perpetrabant, quamvis Dux Folko unde traxerunt originem, fuisset vir virtutis & maximæ honestatis. Erat autem tempore eorum Capitaneus principalis Carolus Domicellus, qui se Duci Birgero præ cæteris opponebat, propter quod Birgerus diligentius perquirebat, quibus viis posset eum de medio separare. Quo intellecto progenies illa se corroborans, collectis copiis undecunque validum exercitum congregavit, & juxta pontem Hervadzbro cum suo consedit exercitu. Advenit ex adverso Dux Birgerus, & Episcopus Colo, tantum suis blandiciis, juramentis terribilibus interpositis, effecerunt,

cerunt, ut Folchungi depositis armis, nudi ad hostes transierint per pontem, quod præcipue ausi sunt facere propter juramentum Episcopi memorati, de securitate vitæ eorum & pacis emissum. Sed quamprimum venissent, capite sunt truncati. Veruntamen principalis eorum director scilicet Domicellus Carolus, non erat illo tempore inter illos, & facti sunt amici Dux Birgerus & Domicellus Carolus, sic tamen ut alter alterius vitam perdere conaretur; & Dux continuo ad hoc tenderet, ut Carolum occideret gladio vel veneno; cujusdam Militis consilio qui hoc plene cognoverat. Ideo fugit è regno ad Milites Templarios in Prussia: Quo cum venisset, grandis exercitus Lithvanorum infidelium, terram Prutenorum invasit, & Milites Cruciferi, ut his armati occurrerent, se parabant. Interrogatus autem Domicellus, utrum vellet cum ipsis in pugnam procedere, aut in loco securo consistere; sic respondit: *Absit à me, dum pro fide pugnatur à pugna quiescere. Vitam & vires lætanter exhibebo, dum morte vitam mercari invenio.* Cum igitur bellum ferveret acerrimum, & præ multitudine paganorum exercitus caderet Christianorum, milites qui à latere Caroli pugnabant vicinius, monuerunt eum ut fugeret, eò quod non esset spes ulla triumphi. At ille circumspectis aciebus respondit. *Quid me sollicitatis de fuga; cum neminem vestrum videam fugientem?* Tunc illi: *Nobis alia est ratio pugnandi, qui juramento & voto stare tenemur contra fidei inimicos, nec ex quacunque necessitate aut angustia fugere nobis licet, etiamsi adversarii centupliciter excederent vires nostras. Certi autem sumus, quod, quam citò sanguinem fundimus in hac pugna, vitam inveniamus in cœlo.* Ad hac nobilis Domicellus: *Si vobis non licet hostibus terga dare dum fides in caussa est, multò minus mihi licebit: Certus enim sum & ego, quod si quid patiar pro nomine Christiano, potest mihi mercedem tribuere, qui vobis daturus est.* Pugnabat igitur eo die usque ad mortem, & facta est ante faciem ejus strages innumera paganorum. Cognitâ igitur per famam & nuncium morte ejus, Dux Birgerus orans pro anima ejus, benedixit Deum pro eo quod separatus esset ab illo.

Hic de consilio uxoris suæ, & omnium Optimatum regni, accepit uxorem filio suo regi VValdemaro filiam regis Daciæ

Daciæ Sophiam, quam pater suus Rex Daciæ Ericus cum multa ambitione, & Nobilium utriusque sexus decentissima comitiva transmisit in Sueciam, dans cum ea duas civitates in dotem, scilicet Treleborg & Malmö, & celebratæ sunt nuptiæ Ienecopiæ cum multa gloria & ambitione regali, ac ostentatione militari. Dux autem Birgerus quamdiu vixit regnum gubernabat, intereà Leges quasdam condens, præcipuè de hæreditate sororis cum fratre, & de immunitate domestica, ac alias quamplures incolis regni satis acceptas, quæ & hodie usque servantur.

Quia vero his temporibus Careli & Rutheni, regnum Sueciæ occultis & continuis oppugnationibus infestabant, diu noctuque inter rupes maritimas navigio furtivo in insidiis latitantes, & damna intolerabilia Regnicolis inferentes; nam & Archiepiscopum Iohannem circa Almersteeck occiderunt, & Sigtoniam combusserunt anno Domini MCCVI. Ducem etiam Iohannem, qui IX. annis sine reditu in patriam, contra Ruthenos & Ingrios in terris eorum pugnaverat, primâ nocte postquam in regnum redierat, circa Aschanes occiderunt: quod uxor ejus continuò vindicavit, omnes eos occidi faciens in monte qui dicitur Estaklippa, ac infinità alia damna Regnicolis intulerunt. Ideo Dux Birgerus tanto malo viam præcludens; prudentissimo consilio ductus, castrum Stocholmense cum oppido fundans, & muris validissimis cingens, consuetum hostibus introitum interdixit; Atque in hunc modum mari mediterraneo Suecorum, quod dicitur Melar, seram firmissimam anteponens, circumpositis civitatibus, Ecclesiis atque Parochiis pacem dedit & requiem ab infestationibus Paganorum. Obiit autem hic Birgerus anno Domini MCCLXVI. sepultusque in Alvastra, Ducissa biennio ante defuncta, eodemque Guido Cardinalis Calmariam venit.

Mortuo igitur Duce Birgero, cum jam filii sui, VValdemarus, Magnus, Ericus & Benedictus, sui juris esse cæpissent, qui patre vivente sub ejus alis degentes, de nullis se intromiserunt gubernandis, exinde cæperunt propriis commodis & utilitatibus avidius attendere, & quæcunque possent in partem suam trahere. Divisis igitur bonis patrimonialibus, & quæ eis possent jure hæreditario pro-

provenire, de regno quoque partes aliquas singuli acceperunt. Magnus enim antedictus Dux effectus, nomine Ducatus accepit Sudermanniam, cum castro Nycopensi, & multis aliis quæ volebat. Hic ergo multâ animositate & strenuitate vigens, multiplicavit familiam, artes militares cum suis studiosè & potenter exercuit, potentiores regni sibi Consiliarios acquisivit, statum ac Curiam suam nobiliter gubernavit, & Rege non inferior in omnibus esse cœpit. Displicebat verò Regi tanta ambitio, & viis quibus honestè potuit dilationem tantæ præsumptionis in parte cohibuit. Vnde statim post patris funera, dissensio inter fratres est orta. Accessit ad hæc Reginæ superbia, quæ fratres Regis cæpit habere contemptui, quos in conversatione & colloquio sic despexit, ut raro verbum aliquod eis charitatis ostenderet; & quidquid illi apud eam egerunt, sibi displicere monstravit. Vnde & ipsum Dominum Magnum, cum esset homo niger & macer, Keslebötare appellare consuevit; Fratrem verò ejus Ericum appellavit Erich Inghre. Hæc autem cognominum sive agnominum impositio, majoris odii & rancoris seminarium ministrabat. Ad Regis quoque miseriam & opprobrium nimis magnum, regnique desolationem & damna, Diabolus hæc congessit, quod socer suus Ericus rex Daciæ, à fratre suo Abele, ut supra narratur, occisus, reliquit post se duas filias virgines, Iutham scilicet & Agnetam. Hæc Iutha instinctu Diabolico, languere cæpit ardore & desiderio videndi sororem suam Sophiam reginam Suecorum, asserens se non posse curari aliquo remedio antequam illâ visâ. Et cum à Nobilibus in conjugium peteretur, & ad hoc assensus accederet propinquorum, illa se asseruit in perpetua virginitate mansuram. Cum igitur continuatis suspiriis diebus ac noctibus, nihil aliud somniaret, cogitaret & diceret, nisi ut Sophiam aspiceret, annuerunt, licet inviti, qui illam recommendatam habebant, parantes ei equos, familiares ancillas & cætera necessaria pro hac via. Rex autem VValdemarus audito ejus adventu, misit in occursum ejus turbam utriusque sexus hominum nobilissimè expeditam. Venit igitur illa in regnum Suciæ, & tandem ad Regale palatium, velut si unus angelorum de cœlo descendisset in terras, Cæpit autem Rex cum illa nimis familiariter & socialiter conversari, & quotidianis aspectibus

atque

Bilgi: Ketelbotar

atque sermonibus, cum blanditiis & applausibus delinitus, Diabolo instigante, ad illicita incitari. Vnde & ex eo dicitur incæstuosam sobolem suscepisse. Quo cognito, regina Sophia omnem quem ætatis habuerat decorem & pulchritudinem exuit facialem, verso vultu continuum in pallorem. Habebat nihilominus rex V Valdemarus ex regina Sophia unum filium & duas filias, nomen filii Domicillus Ericus. Erat autem ipse nobilissimæ indolis & honestissimorum morum: Filia verò altera Rikissa, altera Marina; Hæ simul nuptui sunt traditæ: Rikissa quidem Duci de Kalis; Marina verò Domino de Desseholt: Quæ celebratis earum nuptiis Nycopiæ, cum Regia ambitione & multo apparatu abundantissimè dotatæ, à patre ad terras principum prædictorum honestissimè ducebantur: Ericus autem filius Regis obiit anno Domini MCCLXVIII. Hujus tempore, scilicet anno MCCLXVIII. combusta est Vpsalia quarto. Anno eodem quoque obiit Dominus Laurentius Archiepiscopus Vpsalensis, & sepultus est apud fratres Minores Enecopiæ, videlicet fratres ordinis sui. Anno MCLXXIII. translatæ sunt reliquiæ S. Erici; constructâ Ecclesiâ ligneâ intra muros inceptos in monte S. Trinitatis, ubi quondam stetit templum Vpsala trium Deorum.

Procedente autem tempore, occasione discordiæ inter Regem & fratres ejus multiplici interveniente, & invidiâ pau'atim, ut assolet, magis ac magis crescente; quæ catenus latuerant, in publicum sunt deducta. Cum enim Rex cum tribus fratribus suis & regni Consiliariis, ac pene omnibus Proceribus regni nobilibus statutâ die convenissent in Trenijanees, gravis facta est contentio inter fratres. Aderant omnes Episcopi regni, partes suas, ut oportuit, interponentes, & juxta vires suas pro concordia laborantes; maximè autem frater Regis Benedictus Episcopus Lincopensis, qui cum haberet Finlandiam in Ducatum, & de patrimonialibus bonis partem suam, omnia exhibuit relinquenda & fratribus suis laicis dividenda, ut saltem suis sic essent contenti limitibus, & pacem atque concordiam servarent. Cæteri autem Nobilium & Potentum pro amicabili compositione, modis omnibus sibi possibilibus laboraverunt; Sed affuit inter eos ipse Sathan, qui plus omnibus profecit in malum, ut extremò discordes ab invicem separati abinde discederent, Rege ipso à

fratre

fratre suo Duce Magno hostiliter diffidato. Rex ergo festinavit Holmiam, & Dux Nicopiam primo adiens, ac deinde in Daciam properans, exercitum sibi ex Dacis & Alemannis, quantum putabat sufficere, collegit in brevi sub Erico rege filio Christopheri, anno regni ejus XVII. Cum jam anno præcedente celebratum fuisset Concilium Lugdunense à Gregorio X. Exercitu igitur congregato, Dux Magnus intrat VVestrogothiam, publicè protestatus se aut regnum habiturum, aut in prælio moriturum. Hoc cum Rex audivisset VValdemarus, respondit *eum minus obtenturum quam regnum*, affirmans & ipse quod vellet cum ipso pugnare, si, & in quantum Daci & Alemanni sui, adventum ejus expectarent ad pugnam. Collegit igitur omne robur exercitus sui regni, omnes videlicet qui in ejus arma jurati essent, sed & rusticam multitudinem infinitam. Et cum hoc grandi exercitu contra fratrem suum Magnum Ducem in VVestrogothiam profecturus, negligentius agens, multitudine præcedente, & continuo itinere procedente, ac sylvam intermediam, quæ dicitur Tijvvedh, transcurrente, ipse cum electis pugnatoribus & bellatoribus in Romundabodæ remansit pausans & dormiens, & cum Mars ingrueret ocia sumens. Exercitus autem reliquæ multitudinis quæ præcesserat, & silvam jam transierat, juxta villam Hovva stationem accepit, & sine Duce, sine ordine, sine dirigente & facienda imperante derelictus, vagus ac dubius ferebatur, aliis hac, aliis illud attentare volentibus. Rege itaque ita dormiente, & Reginâ magniloquâ ad Scaccos ludente, dum Regis exercitus quid faceret fluctuabat ignarus, subitò super illos irruit Danorum exercitus, quem Dux Magnus adduxerat, & prævaluit Dux & Regis stravit exercitum, & ut verba Reginæ in vacuum non transirent, cacabos reformavit. Tunc qui evadere potuerunt, ad silvarum umbracula, lacus & abdita confugerunt, anno Domini MCCLXXV. Evasit autem unus equester penè solus ut nunciaret Regi. Nunciavit verò non solum verbis & querelâ, atque flebili voce sermonum, sed & diris vulneribus quæ susceperat sanguine defluente. Consuluit tamen Regi, quod paululum retrogressus colligeret denuo viros & vires, & pro sua & regni tuitione vigilantius decertaret. Sed ille, ut erat improvidus, meticulosus, & in rebus forte bellicis minus

edoctus, de sola fuga cogitans, & manum militarem, quæ apud eum convenerat, absque consilio relinquens, in VVermelandiam præcipitanter fugit. Militia enim à Rege derelicta in Nericiam se recepit. Dux autem sine mora procedens, cum Regem fugisse rescisset, continuo post eum direxit vernaculos expeditos, qui eum è vestigio prosequuti, ubi se hospitio reciperet in villa quadam, adhuc quasi securum cœnantem, & in mensa pausantem diutius comprehenderunt, & ad Ducem, qui interim regnum sibi conquirere festinabat, celerius adduxerunt. Nec erat jam quisquam qui Dacis se opponeret, contra eum pro Rege pugnando, aut civitates vel fortalitia muniendo. Quin potius Majores natu de regno ad eum confluebant, fidelitatis & homagij juramenta illi præstando. Rex autem Daciæ Ericus filius Christopheri, eidem Duci multiplex auxilium præstando, confortabat & cooperabatur eidem, tum occasione lucri sui & emolumenti sperati, tum ut Regem Sueciæ guerris & discordiâ bellisque afflictum truderet ad occasum. Nam idem rex Ericus brevi post, pro eodem VValdemaro rege decertans, & Ducem expugnare tendens, totam VVestrogothiam igne & ferro vastavit, non obstante quod Duci concesserat litteras hujus continentiæ & tenoris.

Ericus Dei gratiâ Danorum. Sclavorumque Rex, omnibus præsens scriptum cernentibus salutem in omnium Salvatore: Notum esse volumus præsentibus & futuris, quod inter nos ex una parte, & Nobiles ac Magnificos viros D. Magnum Ducem Sueciæ, & Domicellum Ericum fratrem ejus ex alterâ, taliter placitatum est, fide mediâ, & condictum: quod nos ipsis pro viribus eorum conservandis efficaciter assistere debeamus, &c.

Effectus autem est, quod tunc assignavit eis C. armatos cum omni bellico apparatu, pro quibus illi promiserunt VI. M. marcarum argenti puri, & unum castrum in pignus quod ille volebat eligere; Ad cujus sustentationem, conservationem & manutentionem, promiserunt contribuere M. marcas annuatim Datis Sunderborg, anno MCCLXXV.

Rex igitur VValdemarus captivatus & ad locum ubi tunc Dux degebat adductus, ac ejus præsentiæ exhibitus, humiliatus coram eo, rogabat ut secum misericorditer ageret, asserens se fore contentum quoad negotium regni, dummodo paterna

na sibi hæreditas relinqueretur. Dux autem absque contentione, & sub quadam benevolentia & mansuetudine, sub hoc verborum respondit effectu: *Scio quod frater vester sim, si me in jure meo libere vivere fecissetis, nec eo capitali odio, quod consilio & instinctu uxoris vestræ in me conceperatis, persecuti fuissetis, ego ea quæ feceram nullatenus attentassem, nec vestram quietem in aliquo perturbassem. Ego nihilominus agam vobiscum, quod fuerit decentiæ & honoris, in tantum ut nemo dicere possit, me irrationabiliter aut immisericorditer egisse vobiscum.* Tunc convocatis in VVestrogothiam Consiliariis regni, & omnibus pene Magnatibus, de consensu omnium qui interesse debebant, Dux assignavit fratri suo regi VValdemaro dimidium regni, hoc est, partem inferiorem, & scilicet VVestrogothiam, Ostrogothiam, Smalandiam, VVermelandiam & Daal. Dux verò elegit partem superiorem regni, nempe Sueciam, & quæ nemus illud famosum dividit à regno Gothorum. Alij dicunt Regem VValdemarum fugisse tunc in Norvegiam cum uxore & filio, & cum post hoc facta esset discordia inter fratrem suum Ducem Magnum, & Regem Daciæ pro non soluto sibi argento, adjunxerit se illi, & cum ejus exercitu intraverit Sueciam, ac eam hostiliter devastaverit in Verendia, & VVestrogothia, ac deinde placitatum fuerit quod haberet Dux Magnus dimidium regni. Item post victoriam sibi concessam in Hovva, ut præmittitur, Dux Magnus jam, ut quidam putant, Rex coronatus Vbsaliæ, duxit uxorem Helevviig filiam Gerardi Comitis senioris Holsatiæ.

Sed verius anno Domini MCCLXXVI. Magnus filius Birgeri Ducis, & frater VValdemari regis prædicti, electus est in regem Sueciæ; & in Ecclesia Vpsalensi coronatus, fratre suo jam regno privato. Coronatus est autem in festo Pentecostes, & in festo Martini celebravit nuptias suas Calmariæ, accepta in uxorem filia Comitis Holsatiæ Gerardi senioris, nomine Helevviig virgine nobilissima, quam omnes Regnicolæ de virtute multiplici commendabant. Orta est autem dissensio gravissima inter eundem regem Magnum, & regem Daciæ Ericum, pro eo quod rex Magnus distulit solvere regi Erico argentum sibi promissum pro expeditione exercitus, quem ab eo acceperat contra fratrem. Et si quæ alia inter eos fuit caussa dissensionis nescitur. Vnde rex 60. Magnus Ladelås.

Magnus distulit solvere regi Erico argentum sibi promissum pro expeditione exercitus, quem ab eo acceperat contra fratrem. Et si quæ alia inter eos fuit caussa dissensionis nescitur. Vnde rex Magnus parabat exercitum, cum eo intraturus in Scaniam. Sed virgine sibi desponsatâ Calmariam veniente, deliberavit prius nuptias celebrare, & deinde hostili exercitu suo Scaniam vastaturus intrare. Paratis igitur cum festinatione, quæ erant tantæ solennitati necessaria, paratisque quam velocissimè nuptiarum solenniis, & factâ donatione propter nuptias, Daftöö cum tribus adjacentibus provinciis, fideles suos jubet esse paratos, & in continenti Scaniam & Hallandiam intrans; horrendo utramque vastavit incendio. Sed apud pontem Rignabro ultra progredi prohibitus, in Sueciam est reversus.

Hæc autem inæstimabilia damna pauperibus illis, quæ passi sunt, ob nihil aliud intulit, nisi quod rex Daciæ Ericus exegit ab eo argentum, sibi promissum ab eo pro C. familiarium armatura. Hoc etiam anno obiit Domicellus Ericus frater regum Valdemari & Magni.

Illatis verò tantis injuriis, & Scanensibus tantis damnis affectis, rex Ericus cum tota Daciæ Baronia, ultricem commovetur in iram, & ad sumendam vindictam tantæ tyrannidis vehementer accensus, modos idoneos inquirebat. Quieverunt tamen hac hyeme à bellorum insultu. Sed non quieverunt animis, quo minus sibi de armorum apparatibus providerent. Attraxerunt interim sibi regem VValdemarum, ut ipse cum eis in eandem sententiam conspiraret. Quorum versuto circumventus consilio, & propriâ insuper temeritate traductus, ut occasionem quæreret contra fratrem, in caussam transiens alienam, ad exigendum argentum Regi Danorum promissum, se quasi advocatum medium introjecit. Accessit igitur fratrem suum regem Magnum in loco qui dicitur Sanda, aperte ei denuncians, aut fortè per alios significans, quod de divisione regni jam aliâs facta, non esset contentus, imò vellet aut totum regnum habere, aut toto carere. De Danorum potentia & assistentia plus justo confisus, reputans ut quorum auxilio frater suus jam victor fuerat, eorum etiam potentiâ vinceretur. Adjunctus inde Donorum exercitui, qui in æstate sequenti tende-

tendebat in Verendiam, patriam illam vastavit incendio, civitatem Vexionensem igne conflagrante comburens, cum Ecclesia Cathedrali. Damnum tamen refudit Ecclesiæ, dans ei Tollegarna perpetuo possidendum in refusionem incendii memorati. Supervenit etiam novus exercitus ad easdem partes ex Dacia, cujus Duces præcipui erant egregii Milites Dominus Palno Hvvijt, & Benedictus de Alsnö, invictissimi bellatores, qui dum nihil periculi imminere sentirent, armis depositis commessationi vacabant, cum subito vox præconis insonuit, adesse præ foribus adversarios Vplandenses, quorum ductor & institutor erat egregius Miles Dominus Vlpho Carlson, CC. habens equites bellatores. Tunc Dani præcipites currunt ad arma, equos potenter ascendunt, & viriliter obviant inimicis, quos illi bello paratiores excipiunt, & victores effecti captivos suos Dacos ad propria redire sinentes, unius anni terminum concesserunt. Quo elapso Sudercopiam venire, fide mediâ & obligatione solitâ, promiserunt: Hæc anno Domini MCCLXXVI.

Anno sequenti videlicet MCCLXXVII. VValdemarus quondam rex Sueciæ, cum rege Danorum Erico cum immenso exercitu Vestrogothiam intraverunt, quam & miserabiliter vastaverunt, rege Erico moram trahente in Axevvald, dum gens quam secum adduxerunt VVestrogothiam pervagata, patriam illam redderet desolatam. Habebat VValdemarus spem, ut fratre suo veniente & victo, ipse in gradum pristinæ dignitatis regiæ redderetur. Regis verò Danorum intentio fuit, ut vindicaret in regnum Sueciæ, quod Sueci cum rege suo Magno in regnum Daciæ commisisset, & ut Regem ipsum cogeret ad solvendum argentum jam sæpius memoratum. Dissimulabat interim rex Magnus partes intrare Vestrogothiæ, ut Regem Daciæ debellaret, aut quia putabat se tantam potentiam non habere, præcipue cum nondum esset, secundum aliquos, coronatus in regem, aut quia parcens humano sanguini noluit tantam stragem utrinque committi. Postquam ergo Rex Danorum moram longam traxisset ibidem, ex caussis emergentibus coactus est reverti in Daciam. Nobilibus autem & potentioribus utriusque regni diu multumque pro concordia laborantibus,

tibus, ad hoc tandem negocium est deductum ut regi Danorum solveretur memoratum argentum, & in hoc contentus & pacatus cum rege Magno, in firmam amicitiam convenerat. Et hoc pacto inito, rex Ericus cum suo exercitu in Daciam est reversus, comitante pariter eos rege Valdemaro. Putant quidam hac vice, nec prius obtentum, ut rex VValdemarus dimidium regni obtineret, & Magnus nihilominus solus rex Sueciæ diceretur: Et quod tunc primum Magnus electus sit in regem, cum jam omnes audissent infidelitatem & fraudem regis VValdemari. Potuit autem esse quod pars dimidia regni, quam Magnus ei concesserat, visa VValdemari stultitia, cum cæteris in electionem Magni consenserit. Dicunt alii quod Dux Magnus non aliter fuerat electus in Regem, nisi quod armorum vi fratrem suum ejecerit, & regnum per potentiam occupaverit. In omnibus enim quæ de eo hactenus sunt narrata in chronicis, non Rex sed Dux fuerat nominatus. Alicubi scriptum invenies hoc modo: Anno M C C L X X V I. depositus est rex VValdemarus per Ecclesiam & per Principes propter sua facinora, & electus est frater ejus Magnus apud Morasteen, & in Vpsaliensi Ecclesia coronatus. Eodem anno MCCLXXVI. translatus est Beatus Ericus, & sedes Archiepis. de antiqua Vbsalia ad eum locum ubi nunc fundata est Ecclesia Metropolitana. Hic rex Magnus cum esset vir strenuus, ac in rebus bellicis & actionibus militaribus insignis & clarus, diligebat milites, ac alios Nobiles, qui operam dabant studiis militaribus, & eo amplius, quò diligentius eos videbat strenuis actibus insudare. Inde factum est ut viri extranei, Alemanni & Daci multam familiaritatem cum eo contraherent, altumque locum eminentiæ & amicitiæ, etiam præ indigenis obtinerent. Sueci enim, præcipuè Vplandenses, utplurimum tepidi sunt, moribus segnes, conversatione distorti, rusticano potius operi quam arduis rebus intenti, ideoque Curialibus & militaribus negotiis & Principum obsequiis minus apti. Decipiuntur autem Principes frequenter in electione virorum, dum gestus exteriores & verborum blanditias æstimantes, intentiones loquentium aut servientium non attendunt: Fistula enim dulce canit, volucrem dum decipit auceps. Qui tecum loquitur tendit ad laqueum. Laudatur quippe princeps peccator

cator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur adulator, qui lactat & palpat, & caput inpinguat oleo peccatorum: Fili, inquit Sapiens, si te lactaverint peccatores, non acquiescas eis. Accidit interim Militem quendam ob sua demerita de Dacia exulare, cui nomen erat Petrus Porze, qui ad regem Magnum divertens, multo ab eo favore susceptus, fortalicium quoddam ab eo munitissimum regendum accepit, ex quo etiam multa spolia & pauperum exactiones exercuit. Nescio si simulato exilio fraudem molitus advenerit. Hic erat unus qui argentum promissum exegit, ad quod obtinendum castro sibi commisso taliter usus est: Inventa enim opportunitate, invitatum à se Regẽ vocavit ad castrum, & cum jam Rex hilarior esset, residentem in mensa hostiliter captivavit, & ad solvendum promissa minaci manu & voce coëgit. Constitutus igitur Rex & in arcto positus, castrum illi Ludosiæ cum subjectis reditibus assignavit, & nihilominus illi consuetam amicitiam conservavit. Erat & alius Mileš de Dacia nomine Ingemarus, in tantum regi Magno dilectus, ut ei consanguineam quandam suam Helenam matrimonio copularet, & ultra quam ille absque verecundia desiderare posset honorando dotaret. Commovit igitur intraneos indignatio multa, & æmulatio gravis accendit, qui homines extraneos, qui vel propter eorum facinora à patria propria erant ejecti, vel ob insidias fabricandas terram intraverant alienam, Rex supra omnes indigenas divitiis & honoribus extulisset, & cum eis in arduis regni negociis sua consilia tractare consuevisset, Regnicolis posthabitis. Erant eo tempore potiores in regno de posteritate geniti Ducis Folchonis, qui & Folchungi dicebantur: quibus ratione genituræ quasi ex officio incumbebat, ea deducere ad notitiam Regis qui Rempub. concernebant; nec forte propterea displicentiam aliquam incurrissent, si oportune pro modo, loco & tempore id fecissent. Offensum enim Principem super agendis & gerendis negociis, convenire non est aliud, quam expandere retia in capturam in æquore procelloso. Se quippe & retia sua perdere festinat, qui tempestati se ingerit, & tranquillam maris faciem non expectat. Nam & ea quæ per se grata sunt, ex relatione quandoque displicent inconsueta. Hi ergo Folkungi vel pro sua duntaxat progenie, vel in persona totius Sueciæ

Baroniæ, regem increpare sunt ausi, dicentes quod jactanter & ambitiose pro quadam sui nominis gloria extraneos præferret innatis. Militem autem illum Ingemarum duris sermonibus sunt aggressi, dicentes se neque sanguine, sive parentela, aut industriâ militari eo inferiores; Neque sui intuitu velle deinceps haberi contemptui, apertius exponentes, qui nisi Rex sensum suum in discretione virorum aliter informaret, & viros extraneos eis præferre desisteret, ipsi de remedio providerent. Ille vero, ut erat elatus, contumeliosus & audax, durius ad eorum verba respondit, arguens primum quod pro ejus minoratione & abjectione coram Majestate Regni laborassent, dicens eos talia protulisse, quæ merito debuerant tacuisse. Deinde quasi suo merito exaltatum, in nullo eis penitus obligari, utpote quorum auxilio nunquam fuerat vel senserat se relevatum. Ac demum contemptis eorum minis, suasit ut quantum possent & vellent facerent, scientes quicquid facerent se non timere.

Hoc tempore, videlicet anno MCCLXXVIII. obiit Dn. Ericus Episcopus Scarensis. Eodem anno obiit D. Folko Archiepis. Vbsalensis, & electus est D. Iacobus Israëlis, annoque sequenti consecratus. Eodem anno videlicet MCCLXXVIII. interfectus est Ingemarus Miles Dacus, de consilio Dn. Ioannis Philippi, & ab ipso captus est Gerbardus comes Holsatiæ. An. etiam MCCLXXVIII. Regina Suecorum D. Hellevviik, civitatē adiit Scarensem cum patre suo D. Gerardo Comite Holsatiæ loquutura, Affuit ibidē Miles memoratus Ingemarus Nilson Dacus Regis prçstolatus adventum. Aderant nihilominus & aliqui de Folkungis, videlicet Ioan Philipson, Ioan Carlson, Amund Tureson, & Dn. Philippus de Runeby, (alias de Ranspuby) Hi sicut mente tractaverant & voce non tacuerant, efficere cupiebant ne extranei in regno principatum aliquem obtinerent, initio consilio concluserunt D. Gerardum Comitem, Holsatiæ patrem nempe Reginæ, & Regis socerum captivare. Nec distulerunt qui mente conceperunt effectui mancipare. Continuo n. ad arma prosiliunt, locum in quo degebat invadunt, & ibidem reperientes prçfatum Ingemarum, eundem truculenter occidunt; Gerardum v. Comitem captivantes, & de loco velocius auferentes, in castro Imseborg incluserunt, Regina autem stupefacta & territa, in mo-

monasterium se recepit. Præcipuus vero inter Folchungos, cujus autoritate & consilio hæc gerebantur, erat Ioan Philipson, qui Ingemaro occiso & Comite captivato, mox cum suis castrum Ienecopense munitissimum obsidione ligavit. In quibus factis dicunt quidam Dominum VValdemarum, jam tunc depositum pariter cum eis concurrisse; Audivit quoque Rex, & conturbatus etiam venter ejus à voce narrantis, contremueruntque labia audientis. Dolebat quidem pro socero & Regina, timebat nihilominus pro seipso; Erant enim Folchungi viri potentes in regnó, longam post se restim amicorum & familiarium trahentes. Sed etiam frater Regis senior ætate & dignitate, Dominus VValdemarus de amissione regni minus benè contentus, multos intra regnum & extra habuerat fautores & amicos. Tanto igitur tempestivius & diligentius sibi providit de remedio salutari; quante mora periculosior in tanto discrimine videbatur; præcipue in custodiendis munitionibus suis, & sui corporis secura tutela. Conceptum ergo furorem adversus Folchungos cautè dissimulavit ad tempus, & cæpit ad præfatos Milites per litteras & nuncios, & in conversatione mutua blandè & familiariter se habere, laudans atque approbans, & commendans quæ per eos gesta fuerant in præmissis, dicensque quod justè & rationabiliter hæc fecissent, & tanquam fidelissimi viri zelantes pro patria, bonum regni scire & procurare volentes, invasores extraneos excludere cupientes: Atque in hunc modum obtinuit præfatum Comitem à captivitate & vinculis liberari, & ad propria cum honore redire, insultum dissentionemque obortam, furentesque ac concitatos animos mitigari: Exinde oportunitate inventâ, litteris dulcissimis vocavit eosdem ad se constitutum in civitate Scarensi, in curia in qua præmissa cædes & captivatio fuerat perpetrata, cui nomen erat Gellaquist; Quos venientes fecit continuo comprehendi, & ad Stocholm perduci, ubi duo ex eis Iohan Philipson, & Iohan Carlson capite sunt truncati; Philippus vero de Runeby omnibus suis hæreditariis bonis vitam cum difficultate redemit: Decollatus est etiam Birgerus frater Iohan Philipson; Carolus autem præfectus est Finlandiæ: & ita omnis hæc discordia sedata.

Anno

Anno MCCLXXIX. obiit Nicolaus Papa, & Martinus electus est. Eodem anno resignavit Valdemarus totum regnum ad manus fratris sui Magni, & recessit in Daciam ad suam Christinam. Eodem anno mortuus est primogenitus regis Magni & Vbsaliæ sepultus. Anno MCCLXXX. decollati sunt supra scripti, videlicet Iohan Philipson & Birgerus frater ejus, & Iohan Carlson sororius eorum, & alij multi. Ast an: MCCLXXXI. obijt Dominus Iacobus Archiepiscopus Vbsalensis, & electus est Iohannes Adolphi. Præterito anno natus est Birgerus posteà rex. Eodem anno mortuus est Magnus rex Norvegiæ, & electus est filius ejus Ericus in Regem. Anno Domini MCCLXXXII. mortua est Ingridis Skeningensis, quæ fundavit illic monasterium. Sed anno MCCLXXXI. venerunt illuc Sorores. Verum eodem anno obiit Vlpho Dapifer. Anno Domini MCCLXXXIV. electus est in regem Sueciæ Birgerus filius Magni Skeningiæ, & Ericus frater ejus factus est Dux, licet ambo essent parvuli; Benedictus Dux Finlandiæ.

Post hæc rex Suecornm Magnus, & rex Danorum Ericus, pro fraternali & firma eorum concordia ad invicem, convenerunt in confinio utriusq; regni in multa militũ comitiva; Vbi hastiludia & multa militaris studii exercitia sunt habita, in quibus exercendis famosiores isti fuerunt de Dacia: Dominus Petrus Scaning, cui ex adverso occurrit ex Suecis Hollingerus Carlson, filius Legislatoris Caroli. Item ex parte Dacorum quidam Magnus Dysevvald, admodum Goliath castris Israël exprobrantis, fecit sæpius proclamari; Vtrumne esset Vplandensis aliquis qui sub vadio equorum partis utriusque, cum adjectione centum marcarum, sibi vellet occurrere. Surrexit tandem quidam ex Suecorum parte Erengisel Plata, qui conventione facta primo illum congressu longè dejecit ab equo. Eo autem tempore sunt ambo Reges, Magnus Suecorum & Ericus Danorum amicissimè concordati, datis per regem Magnum litteris infra scriptis.

Magnus Dei gratiâ Sueorum, Gothorumque Rex, salutem in Domino. Notum facimus quod sopitis & terminatis omnibus caussis, injuriis & quæstionibus, quæ vertebantur inter charisſ. fratrem nostrũ D. Ericum Danorum Slavorumque regem parte ex una, & nos ex altera, bonâ fide promittimus eidem Domino Regi Daciæ, sive suc-

successori suo, solvere IV. M. Marcarum argenti puri, ad pondus Coloniense, terminis infra scriptis, impignorantes eidem castrum Ludosiæ, cum Distr.ctibus adjacentibus, &c.

Tunc rex Danorum Ericus interposuit partes suas, ut ad concordiam reducerentur rex Magnus & frater suus Dominus Valdemarus quondam rex Sueciæ, eratque contentus idem D. Valdemarus liberè resignare ad manus fratris sui Domini Magni regis partem regni dimidiam, quam ex priori concordia & pacto acceperat possidendam, dummodo rura paternalia & hæreditaria posset libere ac integre possidere: jam enim mortua erat Sophia regina, ideoque proposuit in Dacia residere, accepta ibi uxore quadam Christina, ac ea mortua, quadam filia Comitis Catharina. Quibus itaque hoc modo per Regem Daciæ, & quosdam alios concordatis libere resignationis suæ dedit litteras in hunc modum.

Universis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, Valdemarus Dei gratiâ Rex Sueorum, salutem in Domino sempiternam. Noverit tam ætas præsentium quam posteritas futurorum, nos Regnum Sueorum, quod ad nos jure hæreditario devolutum est, charissimo fratri nostro Domino Magno, eadem gratiâ Duci Sueorum concedere & dare, cum omni gubernatione, jure & regimine possidendum, Coronam regni ei cum omnibus Regalibus attinentiis concedentes, firmissimeque promittentes, quod nunquam occultè vel manifestè, factis, dictis vel scriptis, in regno vel extra, huic ordinationi contrarie velimus, &c.

Extant plures litteræ suæ de regni resignatione; Sed & litteræ testimoniales Consiliariorum regni super eodem, quę etiam asserunt D. Magnum valde fuisse difficilem & invitum ad suscipiendam resignationem hujusmodi & onera regiæ dignitatis. Dederunt etiam Consiliarii regi Magno literas in hunc modum.

Benedictus Dei gratiâ Dux Finlandiæ, Magnus eadem gratiâ Uplandensis Episcopus, &c. confitemur & publicè protestamur, nos illustri Domino nostro Magno Dei gratia Sueorum atque Gothorum regi salubriter consuluisse, & modis omnibus suggessisse, quod D. Valdemarum fratrem suum, qui omni jure, quod in regno nostro dignoscebatur possidere, liberè renunciato, memoratum regnum nihilominus per se & per suos, nec non & alienos attentavit inhumaniter perturbare. Qui dimissa etiam uxore propria & legitima,

quasi

quasi mente captus & suæ famæ prodigus, ac antiqui hostis suggestione & instinctu, ultionis formidine divinæ minimè refrænatus, mulierculis vilibus interdum per coitum damnatum, quandoque etiam & sceleribus adulterii publicè adhærebat, contemnens ad salutarem Prælatorum regni monitionem, ab earundem nefario consortio resilire, & ad tantam vergebat ignominiam inopiamque, ut in alienis partibus cœperit degere vagabundus, in maximum suæ animæ præjudicium & scandalum plurimorum, easque emendatione vitæ suæ, & morum reformatione, deputatis sibi servitoribus competentibus, cum esculentis & poculentis faciat custodiri &c. Datis anno Domini MCCLXXXXV.

Hoc tempore quidam Magnus in multis scribebat se Archielectum Vbsalensem: Item electum & confirmatum Ecclesiæ Vbsalensis, quarum una est de matrimonio contracto inter Primislaum Ducem majoris Poloniæ, & Domicellam Richissam filiam Domini Valdemari regis Sueciæ, in qua etiam ponitur Ericus Archiepiscopus Magdeburgensis: Item ipse fecit permutationem cum Corona de piscatura & parte amnis Vbsaliæ, scribens se Electum & consecratum: Sed Ericus rex Danorum de rebellibus non colligendis, in regno suo tales regi Magno dedit litteras.

Ericus Dei gratia Danorum Slavorumque Rex, omnibus præsens scriptum cernentibus in Domno salutem. Noveritis quod nos charissimo fratri nostro Magno regi Sueorum illustri bona fide promittimus, quod si processu temporis aliquis de hominibus suis sibi contumaciter opposuerit, nullum ad nos refugium habere debeat; Nec præstabimus eidem auxilium aut favorem: Et ipse nobis versa vice de hominib. nostris idem facere repromisit. Datum Lagaholm anno Domini MCCLXXXVIII.

Atqui super matrimonio inter Liberos utrinque contrahendo, hujusmodi dedit litteras.

Ericus Dei gratia Danorum Slavorumque Rex; omnibus præsens scriptum cernentibus in Domino salutem. Noveritis quod nos summo animo intendentes, ac firmum propositum habentes, quod inter magnificum principem D. Magnum Sueorum Gothorumque Regem illustrem, fratrem nostrum charissimum, & regnum ipsius ex una parte, & nos & regnum nostrum ex altera, firma pax & amicitia stabilis perpetuo habeatur; Propter quod habito utreusque fidelium consilio, nos dicto Regi fide media promisimus, & ipse nobis vice versa,

sa, quod filiam nostram seniorem, cum filio ipsius Regis Sueciæ & hærede regni Sueciæ, cum ad annos nubiles pervenerit, matrimonialiter copulemus; Et si nos medio tempore mori contigerit, procurabimus quod ipsi nihilominus matrimonialiter copulentur: Quod si per nos steterit, quo minus hujusmodi matrimonium sortiatur effectum, obligamus nos ad solvendum dicto Domino Magno X. M. marcarum argenti puri, &c.

Item obligabant se ad succurrendum sibi, & præstandum alter alteri auxilium contra quoslibet impugnantes: Item de filia Comitis Holsatiæ & ejus dote: Item rex Daciæ & rex Norvegiæ constituunt eundem Dominum Magnum regem Sueciæ, judicem in caussa quæ inter eos vertebatur, subjicientes se ejus judicio & sententiæ definitivæ, quæ fuit Calmarniæ terminata; & multa ardua cum rege Danorum Erico, & rege Nericorum Erico, hic rex Magnus magnificè & magnanimiter, multumque prudenter operatus est. Cum deinde pacem dedisset omnipotens Deus regi Sueorum Magno in circuitu & in regno, cæpit cogitare ferventer & frequenter de animæ suæ salute, ut seminaret unde metere posset benedictionem. Cum igitur decrevisset filiam suam religioni tradere, & Christo Domino desponsare, elegit locum quem pariter cum filia Domino consecraret, apud oppidum Holmense in Norramalm. Sed locum ipsum superstitione quadam & ambitione pompatica Militari percelebrem fecit, ut parcam dicere, persædavit. Convocata enim apud oppidum Stocholmense grandi multitudine Principum & Baronum de partibus ultramarinis, magna etiam copiâ Militum & Nobilium de regno, fecit convivium grande juxta magnificentiam Principalem diebus multis, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, in multa etiam ostentatione militaris exercitij, pompa gloriæ secularis. In loco enim fundandi monasterij, filium suum Birgerum Militem fecit, qui factus Miles à patre, Ducem Brunsuicensem Albertum tunc præsentem, in multa suorum Nobilium comitiva Militem fecit, & hic ex consequenti Milites XL. creavit. Tunc repente monasterio erecto, & competenter in bonis immobilibus, ac aliis necessariis abundanter fundato, S. Claræ religioni & nomini dedicatur. Assumptis igitur ad locum Sororibus, filiam suam annum VI. ætatis agentem,

sum-

ſumptuoſiſſimis expenſis & ambitione Regiâ introduxit. Dehinc manum appoſuit in loco vicino, in inſula videlicet dicta Kedieskeer, ſolenne monaſterium erigere fratribus regulam & ordinem S. Franciſci volentibus profiteri, in quo juſſit ſe poſt ſuum obitum ſepeliri. Tertium ejusdem ordinis inchoavit Arbogiæ; & quartum Lincopiæ monaſterium. Apud Skeningiam verò pro translatione & fundatione monaſterij puellarum dedit centum marcas argenti puri. Demum referuntur & alia de eo pietatis opera multa maxime perſonis Religioſis exhibita munificentia Principali.

Nota, rex Ericus Daciæ filius Chriſtopheri, qui contemporaneus erat regi Magno Ladulas, de quo ſuperius facta eſt ſæpe mentio, occiſus fuit in Norra Iuthia, anno Domini MCCLXXXVII. in nocte S. Ceciliæ, in villa quæ vocatur Finnetorp. à Palnone Litla, ſocero Domini Stigoti, propter uxorem ſuam; Qui Stigotus, ædificato caſtro fortiſſimo in inſula Hielm in Belthesſund, exercuit inde latrocinia crudeliſſima quoad vixit: Poſt cujus mortem, filii ſui diſſentientes, diviſi ſunt & fugerunt ad loca diverſa, & quicunque ex eis potuerant captivari, morte peſſimâ ſunt perempti. Alibi verò invenies ita ſcriptum: Anno Domini MCCLXXXVI. Ericus rex Daciæ filius Chriſtopheri, in nocte S. Ciciliæ, cum cauſſa venationis in Iuthia demoratus, apud quoddam oppidum quieviſſet, cum nimium ſoporatus, in horreo quodam aperto oſtio dormiviſſet, cunctis qui ſecū erant dormientibus, intraverunt cum parva lucerna VII. viri armati, quorum unus Regis caput cum manu ſuppoſita groſſo truſorio perforavit: Deinde alii ſubſequuti, LXX. vulnera ei inferentes, & ejus viſcera extrahentes, crudeliter occiderunt: Qui autem hi fuerunt penitus ignoratur. Anno autem ſequenti juratum eſt in Dacia à XXVII. Militibus, quod Dominus Iacobus Comes Hallandiæ, & Marſchalcus Stigotus, ſicut & Nicolaus Hallandsfar, Petrus Porſe & frater ſuus eorum complices, erant Regis occiſores, propter quod fugerunt in Norvegiam; Vnde ædificaverunt in inſula Hielm, ut ſupra, à qua poſtremò vocatus eſt quidam Rano, qui dicebatur unus eorum fuiſſe, de quo canticum eſt ſolemne.

Rex igitur Magnus in ſenium vergens, volens futuris regni periculis providere; Sed & filiis nihilominus proſpicere de

de statu & conservatione eorum, procuravit filium suum seniorem Birgerum, in Regem elegi adhuc vivens. Electus est ergo in regem Sueciæ Birgerus filius Magni Skeningiæ, anno Domini MCCLXXXVIII. Cui etiam omnes Consiliarii & meliores regni homagium, & juramentum fidelitatis præstiterunt, jurantes & fide media promittentes, quod eum post mortem patris sui haberent pro Rege, ac eidem, tanquam vero Regi & Domino, adhærerent: Deinde pro majori stabilitate & firmitate, ac subsistentia tam regni quam filii, accepit ei uxorem Meretam filiam regis Daciæ Erici jam occisi, sororem scilicet Erici regis post patrem regnantis, adhuc parvulam, quam statim acceptam fecit in Suecia usque ad nuptias enutriri. Filiam verò suam Ingeburgem dedit Erico regi tunc Danorum uxorem. Hæc erat laudabilis inter omnes horum temporum & harum partium Reginas, omnia occurrentia difficilia, & iniqua in meliora & ad finem meliorem convertens. Vnde & vir ejus super omnes Reges Daciæ novissimos prosperatus est valde. Ipse vicit Sclaviam, Röst, Rostok & sic de aliis. Turrim fortissimam ædificavit in Vernamynd: Multa autem expendit & fecit pro rege Birgero, dum à fratribus suis impugnabatur.

61. *Birgerus Magni.*

Anno MCLXXXVIII. frater Ieronymus, qui erat ordinis fratrum Minorum Minister generalis, electus est in Papam, & consecratus mense Februario, dictus est Nicolaus quartus. Eodem anno mense Martio rapuit Dominus Folcho, filius Domini Algoti Legiferi Vestrogothorum, Domicellam Ingridem filiam Domini Suantopolk, desponsatam Domino David Torstenson de Dacia, & cum ea fugit in Norvegiam. Hac de caussa eodem mense captus est Dominus Algotus pater ejus, & Dominus Roricus frater illius. Alij autem fratres sui, Dominus Petrus Cancellarius, Benedictus & Carolus fugerunt in Norvegiam, & illic à rege Norvegiæ sunt suscepti. Circa idem vero tempus captus est etiam Dominus Valdemarus quondam rex Sueorum, & in castro Nycopensi inclusus. Eodem anno erat guerra in Gothlandia, inter cives de Visby & bondones terræ, pugnaveruntque in mense Aprili, vicerunt cives, tandemque reconciliati sunt per Dominum Magnum Regem Sueciæ, & permissum est civibus civitatem circundare muro & munire. Eodem anno combusta est

Ske-

Skeningia cum Ecclesiis, præter monasterium Sororum. Eodem anno in mense octobri decollatus est per Dominum Tula Ebbeson, & socios suos, Dominus Arvidus Bengtson cum X. sociis, quod in Hallandia latrocinia exercebant, expulsi prius de Dacia propter occisionem regis Erici. Eodem anno intravit religionem Skeningiæ Domicella Margareta filia regis Valdemari & Reginæ Sophiæ: Marina verò soror ejus in Alemanniæ nuptui traditur. Anno Domini MCCLXXXIX. Conventus venit in Montem Beatæ Virginis. Eodem anno Dominus Magnus Archiepiscopus Vbsalensis defunctus est, & electus sive postulatus est frater Iohannes de ordine Prædicatorum Episcopus Abogensis. Eodem anno Alverus Erengiselson, qui occiderat in Norvegia Attelum, propter quod à Nericiis insequutus fugit in Sueciam, ibique coram rege Magno flexis genibus veniam petens, gratiæ Regis se submisit. Sed latenter fugiens & latrocinia exercens, per Dominum David Torstenson Dapiferum Daciæ, juxta Helsingborg est rotatus. Eodem anno liberati sunt à captivitate Dominus Algotus & Röricus filius ejus. Carolus autem frater ejus Rörici in Lindöö, decapitatus ubi rapuerat Ingridem Domicellam. Röricus verò fugit in Norvegiam, ubi & mortuus est. Tunc Benedictus Legifer Ostrogothorum transivit ultramare, & filius ejus Magnus factus est Legifer pro eo. Hoc anno obiit Dominus Canutus Matthæi Legifer Nericiæ.

Anno Domini MCCLXXXIX. rex Magnus ad extrema vitæ se appropinquare considerans, & decumbens in lecto ægritudinis, vocari fecit ad se Nobiliores ac Discretiores viros regni sui, suadens ac perorans de concordia atque conservatione regni sui, eligens unum ex eis Torchillum Canuti Dapiferum, virum industrium, rationabilem & discretum regni Gubernatorem, & provisorem usque ad maturam ætatem filii sui Birgeri jam in regem electi, assignans ei vivo vocis oraculo regni gubernacula, simulque traditione manuali uxorem suam Reginam, & filios in multa verborum elegantia, & protestatione suæ fidei, derelinquens. Rogavit autem astantes ut eum mortuum sive defunctum deferrent Holmiam, sepeliendum in monasterio fratrum Minorum. Sicque sumptis Sacramentis spiritum tradidit Creatori, lacrymantibus

tibus

tibus & qui aderant, & qui longe positi audire potuerunt. Erat enim incolis regni, pauperibus saltem & his qui pacifice vivere voluerunt, protector & fidelissimus conservator. Convenientes igitur ad ejus funera rustici, portaverunt eum humeris suis usque ad locum ubi fuerat sepeliendus, concomitante quasi totâ regni Baronia Suecici. Drossatus v. regni Torchillus Canuti, juxta fidem & commissionem regis Magni, de consensu Nobilium & Magnatum, regni gubernationi manum apponens, adeo strenue, prudenter & laudabiliter gubernabat, ut Rectoratus sui tempore major quam antea, vel pôst fuit gratia hujus regni. Tanta erat in regno concordia, tanta pax & securitas, tanta denique omnium desiderandorum ad vitæ sustentationem abundantia, ut vix esset quod aliunde desiderari posset. Supervivens autem Dnus Valdemarus quondam rex Sueciæ, qui in castro Nycöpings per fratrem suum regem Magnum custodiæ fuerat mancipatus, liberiori & decentiori loco, vivendique modo jam etiam frui cæpit. Permissus est enim juxta velle suum solatiis uti, libere absque vinculis in castro deambulare, & quaquaversum eminus prospectare, traditis sibi à gubernatore famulis, in multa vestium & mensæ necessariorum abundantiâ, & domibus ac utensilibus, ut nihil minus quam Dominus regni in omni majestate regia videretur, absque eo quod limites castri prohibitus sit exire. Erat enim homo instabilis & periculosus, nullam servans fidem in verbis, sive promissis, Vivente enim rege Magno fratre suo, ter resignavit ei regnum, etiam non coactus; & tamen frequentius attentavit regnum ipsum de suis manibus exturbare. Regis enim Valdemari exercitu in prælio fugato, ipsoque Rege post breve exinde tempus in propria persona capto, fraterno circa ipsum procedente affectu, gratis fuit & plene redditus libertati, concessâ sibi regni medietate. Qui postmodum ad fratres suos accedens in Askanæs, & asserens sibi terreni regni gloriam vilescere, fratri suo Domino Magno instanter supplicavit, ut acceptâ suâ resignatione, ipse pieno jure cum Regis nomina regnum susciperet gubernandum. Tandem devictus ab hujusmodi instantiis, ipse Dominus Magnus, quamvis difficulter ut dicunt, resignationem admisit, & regnum consensit recipere. Ac hanc suam resigna-

resignationem in communi Placito Morating, cum juramento non revocandi, die quo regno vacante per ejus resignationem, dicto Domino Magno fratri suo fuit consensu omnium unanimiter assignatum, iterum renovavit. Sed & cum regno quorundam suggestione exisset, & guerras aliquanto tempore graves concitasset, rediens in oppido Skeningensi ad concordiam cum fratre suo Domino Magno, mediantibus regni Melioribus, dictæ resignationi se velle adhærere asseruit, volens & consentiens quod Prælati Ecclesiæ Succanæ, sicut & factum est, sententiam excommunicationis in eum proferrent, quam, si contraveniret, incurreret ipso facto. Præcedente etiam tempore cum totum robur exercitus regni Sueciæ se ad ipsum contulisset,& obsessum fuisset castrum Ienocopense, viribus & potentiâ per omnia prævalens ipsi fratri suo Domino Magno, prædictam resignationem firmam atque ratam habere voluit. Quæ omnia alibi integraliter sunt expressa. Hoc etiam timore & causa, prædictus Dominus Torchillus Canuti regni gubernator effectus, simul adjunctis sibi commissariis captivabat Domicellum Ericum filium Domini Valdemari regis, ponens eum in castro Stocholmensi, in ea libertate, decentia, honestate, majestate, statu & dignitate, quo patrem suum constituerunt in castro Nycopensi; cum necessaria tamen custodia, ne de castri limitibus clam posset exire, ne forte novissimus error pejor fieret præcedente. Toto enim studio nitebatur fidem servare Regi defuncto, & filio suo Birgero, cui jam fidelitatis præstiterat juramentum.

Anno Domini MCCXCI. incepit magna caristia, & mortalitas hominum. quo anno mortui sunt Benedictus Episcopus Lincopensis, frater regum Valdemari & Magni, VII. calend. Iunii. Item Anundus Episcopus Stregnensis, qui eandem Ecclesiam construxit & consecravit, quæ die consecrationis combusta est. Item Benno Episcopus VVexionensis. Item Amundus Carlson Legifer Sudermanniæ; item Gustavus Turason Legifer VVestrogothorum; item Carolus Vlfsson; item multi Nobiles & potentes utriusque sexus; item Prælati Ecclesiarum & clerici defuncti. Hoc etiam anno stetit fluvius amnis Motala ad unum diem; sed circa Norcopiam multos dies, quod & de multis aliis fluviis &

tor-

torrentibus, etiam rapidissimis factum referunt illo anno. Hoc anno prædicarunt Prædicatores natum esse Antichristum in Ierusalem: Terra enim Sancta gravissime affligebatur à Saracenis, captâ & destructâ civitate Achon.

Anno Domini MCCXCII. obiit Papa Nicolaus Quartus, die parasceves, & facta est discordia magna de electione Papæ, ita ut nulla esset spes obtinendi verum & unum Apostolicum, bellumque grande erat Romæ inter Vrsinos & eorum adversarios de Columna. Anno Domini MCCXCIII. cum adhuc regnum Succiæ gubernaretur per Dominum Torchillum Canuti Marscalchum sub Rege Birgero juvene, regno peroptimè intrinsecus ordinato, quia adhuc gens Careliæ infidelitatis tenebris excæcata, nedum Finnonibus & Tavastis juxta positis, sed & Suecis aliisque fidelibus, gravissima damna ac molestias inferebant, similiter & Rutheni; Marscalchus regni Torchillus suo & omnium consilio expeditionem dirigit in Careliam. Cujus terræ populo subacto per gladium, erexerunt in finibus illis, qui exercitui Sueorum præsidebant, fortalicium invictissimæ firmitatis: VViborg vocatum, ad tenendos Carelos sub Sueorum dominio, & ad cohibendum Ruthenos ne fines suos egredi liberè permitterentur. In quo opere præcipui erant authores Dominus Torchillus Marscalchus prædictus, & Petrus Episcopus Arosiensis. Tunc prædicatâ fide & Cruciatâ, Careli fidem Catholicam susceperunt, & regi Sueorum se subesse, & servire perpetuo promiserunt, eodemque anno mortuus est Dominus Valdemarus quondam rex Succiæ. Castro igitur VViborg facto habitabili, & quantum requirebat primæ necessitas consummato, instituto ibidem præfecto nobilissimo & expertissimo, cum familia necessaria in terra, & loco tam periculoso & insultuoso, major pars exercitus cum principibus & nobilibus remeavit. Victo etiam castro Ruthenorum Kexholm dicto, & Sueticis viris validis occupato. Sed minus quam expediens erat in victualibus & pugnatorum atque custodum numero præservato. Præfectus enim castri illius, cum his qui fidem præstiterant loci servandi, partem familiarium pugnatorum suorum direxerat in patriam pro victualibus afferendis, quibus moram facientibus, & nimis in via aut patria tardantibus, occurrerunt

Rutheni in multitudine magna collecti,& castrum Kexholm obsidione cingentes, continuo diu noctuque bellantes adversus existentes in castro, fame maceratos & siti, importabilibus insultibus fatigarunt. Sueci autem existentes in castro licet paucissimi, se & castrum viriliter defenderunt quamdiu victualia habuerunt; Sed & postquam omnia consumpta fuissent, sex diebus continuo bellantes, & in defensione castri sibi crediti laborantes, nihil gustantes cum nihil haberent, egressi de castro & impetum facientes in hostes, magnam ex eis stragem fecerunt. Verum multitudine nimiâ circumcincti, vitam finiverunt temporalem, crudeliter trucidati. Sic Rutheni recuperato suo Kexholm, firmissimo munimine roborantes, hactenus tenuerunt.

Anno Domini MCCXCIV. Dominus Ioannes Archiepiscopus Lundensis per Regem Daciæ captivatus, carcere mancipatus est. Eodem anno Cœlestinus Papa circumventus suâ simplicitate & quorundam calliditate, resignavit Papatum, intravitque eremum, & electus est Benedictus Cardinalis, Bonifacius octavus dictus, tunc & pax firmata est inter Reges hactenus discordes. Hoc anno congelatum est mare in tantum, ut equitare possent inter Aslögam & Iuthiam. Anno MCXCVI. rediit Româ Dominus Nicolaus Alonis Vbsaliæ oriundus, primus Decanus à Domino Apostolico Bonifacio Archiepiscopus confirmatus, consecratus, infulatus & palliatus, applicans Vbsaliam in vigilia B. Erici, & Missam Episcopalem celebrans die S. Olavi, ac in eadem Missa Domina Ramburgis Abbatissa in Scogh, cum aliis quatuor dominabus est consecrata ab illo. Eodem anno Holmia & Ludosia comburuntur. Anno Domini MCCXCVIII. concilium provinciale celebratum est Arbogiæ, circa festum Beatæ Margaretæ virginis, Domino Nicolao Archiepiscopo præsidente. Eodem anno reparatum est monasterium Scogh. Anno Domini MCCXCVII. cum jam tempus advenisset, quo rex Birgerus Magni filius, desideraret cum desponsata sibi virgine Mereta Danorum Regis filia matrimonium consummare & nuptiarum solennia celebrare, accedente ad hoc ipsum consensu & voluntate Domini Torchilli Marschalci, regni gubernatoris, & Regis juvenis provisoris, tutoris & curatoris, ipsius

ipsius Marschalci industria, providentia, sollicitudine & labore, in celebriore oppido regni Stocholm nuptiarum præparantur expensæ. In quo multitudine Baronum & Militum non modica confluente, nuptiarum solennitas & convivii magnificentia longo tempore perdurauit. Affuit in hac Curia tam solenni frater regis Dux Ericus, juvenis nimium speciosus, modestus, largus, affabilis, tractabilis & omni morum venustate coruscans. Quem Primates & Nobiles atque plebei, teneræ dilectionis affectu, pro suarum virtutum excellentia venerati sunt, non minus quam Regem honorantes eundem: quem rex Birgerus Militem fecit, & alios quamplurimos consequenter. Licet autem Regina nihil aliud quæsiverit, aut habere voluerit ratione Donationis propter nuptias, nisi ut Magnus Algotus liberaretur, propter quod extitit multipliciter commendata; tamen rex Birgerus infra scriptam fecit donationem.

Omnibus præsentes litteras inspecturis, Birgerus Dei gratiâ rex Sueorum, Gothorumq; salutem in Domino sempiternam. Rationi consonum arbitramur ut ea quæ Principes providâ dispensatione pro bono pacis, & mutuæ dilectionis vinculo gesta sagaciter fuerint & statuta, ipsorum successores stabiliant & observent. Hinc est quod inter Magnificos Principes ac Dominos, Ericum quondam Danorum regem, & dilectum patrem nostrum Magnum regem Sueciæ, felicis recordationis, tempore sponsalium inter Dominum Ericum regem nunc Daciæ illustrem, & dilectã sororem nostram Dominam Ingeburgem ex una parte, & nos & consortem nostrã ex altera contractorum, placitatum extitit in hunc modũ: Quod quicunq; nostrũ, scilicet Dominus Ericus nunc rex Daciæ premissus, vel nos, prius matrimonium consummaret contractũ, rite suas nuptias celebrando, quantacunq; Donatione propter nuptias suam uxorem honoret, ad tantam donationem ille nostrum qui subsequẽter suas nuptias celebraret, suæ uxori teneretur assignare. Nos igitur eandem consortem nostrã dilectã omni honore et dilectionis privilegio, quo poterimus prosequi cupientes, ut tenemur, sibi totam Fiedrundiam cum obventionibus & reditibus dedimus & assignavimus, pleno jure perpetuo possidendam, ratione Donationis propter nuptias supra dictæ, una cum villa Forensi Enecopia, in eadem terra sita, conditione servata eadem & consimili, quâ donatio sororis nostræ prædictæ, ab ipso Rege Daciæ fuerit assignata. Si vero præmissi reditus de prædicta terra & villa Enecopensi

provenientes, quid minus valuerint seu minoris fuerint, quam quod præclarus princeps Dominus Ericus rex Danorum prædictus sorori nostræ dignoscitur contulisse, nos de bonis nostris aliis, defectum hujusmodi, in locis ipsi uxori nostræ aptioribus & utilioribus ita supplebimus, quod eadem donatio nostra tanta sit penitus in reditibus, quanta donatio facta ipsi sorori nostræ per Dominum Regem Daciæ supradictum. Datum anno Domini MCCC. die Pentecostes.

Fecit idem Birgerus & aliam Donationem propter nuptias eidem Reginæ de Huseby Trögh. Fecit etiam statuta quædam & ordinationem ac modum gubernandi regnum post mortem suam, ad bonum uxoris suæ & filiorum. Item de decimis pauperum quas anno Domini MCCXCIX prohibuit. Item ipse emit bona immobilia decita filiis Comitis Holsatiæ & Schavvenburg ex Ingeburge filia regis Valdemari pro MCCC. marcarum argenti ponderis Coloniensis, juxta compositionem factam in Helsingborg. Peractis verò ex more quæ ad solennitatem pertinebant Regalium nuptiarum, Marscalchus Torchillus regio nomine navalem paravit exercitum, in multa abundantia victualium & armorum militarium apparatu. Assumptis igitur Militum & militarium satellitum MCC. armatis, classe nobilissimè expeditâ, festinant ad Careliæ Ruthenorumque confinia, aptissimoque ibidem loco reperto pro fortalitio erigendo, inter duos fluvios qui sunt Nyen & Swartåå / castrum munitissimum fabricarunt, quod Landzkrona vocaverunt. Quod postquam ad Ruthenorum pervenit auditum, egressi sunt quasi vir unus, habentes in uno exercitu XXXI. mille pugnatorum, juxta relationem interpretum, & eorum qui viderunt, verisimilem conjecturam. Constituerunt autem de gente sua duos exercitus, unum videlicet equestrem, & alterum navigio expeditum. Est enim mare medium dividens Careliam & Russiam, quod vocatur Hvvitatresk. Tunc Marscalchus qui Sueorum exercitui præsidebat, audito quod in insula quadam maris ejusdem pausaret pars aliqua Ruthenorum, DCCC. viros navigio expedivit, quendam Haraldum eis præficiens principem & rectorem, mandans ut ad præfatam insulam applicantes, in hostilem exercitum insultum facerent, & pro obtinenda victoria laborarent. Cumque aliquantulum processissent, & prosperis ven-

ventorum afflatibus læto remige ducerentur, subitò cujusdam rabies tempestatis aërem obduxit caligine tenebrosâ, & contrariis ventis irruentibus, funduntur imbres & grandines, & cum tonitruorum rugitu fulgura inardescunt. Tempestuosi igitur maris fluctibus concitatis, naves ventorum rapiuntur impulsu, & factæ retrogradæ, vix tandem cum extrema difficultate ad aridam pervenerunt. Et nisi fuissent in terram subductæ, omnes fuissent sævitiâ ventorum & tempestate confractæ. Cumque brevi tempore in loco præfato miles lassatus, quietis caussa pausasset, apparuerunt non longè abinde M. naviculæ Ruthenorum, quas Lodia vocant, continuo passu magis ac magis appropinquantes. Visâ ergò multitudine tantâ adventantium bellatorum. Sueci qui hactenus contra procellosi maris laboraverunt tempestatem, fugæ præsidio se dederunt, ut parti sui exercitus reliquæ sociati, sibi forent auxilio, & coæqualibus animis confligerent contra hostes. Igitur Rutheni hos continuo insequentes, & loco stationis, quo nauium glomerata congeries, quasi in portu tranquillissimo quiescebat, cominus accedentes, subtili quodam ingenio strues lignorum altissimas super fundamenta trabium componentes, incensas & vehementer ardentes, torrentis impetu raptas ad naves Sueorum dirigi disponebant. Sed palis quibusdam in meatu defixis, quantum temporis permisit angustia, aliisque exceptæ obstaculis, & donec consumptæ perirent, retardatæ ac retentæ, fine frustrabantur intento. Egressi proinde Rutheni de navibus, ferocibus animis prosiliunt in terras, armis induti micantibus, & novorum loca hospitum aggrediuntur. Sed provisi Vplandenses de præsidiis oportunis, sic eos excipiunt ad pugnandum, ut majorem partem exercitus Ruthenorum prostraverint, reliquis captivis ductis aut fugatis. Exercitus verò eorum equester, in quo erant X M. pugnatorum, propterea destitit congressu. Nam unus Sueorum Matthias Ketelmundson, acceptâ licentiâ à Marscalcho, accessit eorum exercitum in nemore quodam pausantem, provocans eorum quempiam ad singulare certamen, quemcunque dare vellent, & usque ad noctis tenebras expectans ac exprobrans, sic eos perterruit ut nocte sequente furtivè fugientes, minime comparerent. Iam

enim Sueci se disposuerant, ut in eos impetum facerent si mansissent. Castro igitur Landzkrona firmiter ædificato, & victualibus abundantissimis atque munimentis necessariis roborato; præficitur eidem capitaneus Miles nobilis, strenuus & robustus Dominus Steno vacatus, CCC. sibi sociis & famulis sociatis. Reliqua verò exercitus multitudo, ad redeundum in patriam se disponit. Navibus ergo suis ad amnis extrema deductis, & in maris aggressu dispositis, ventum sibi congruum expectabant. Sed expectatione longâ attædiati, equis eductis è navibus, terras inimicorum invadunt, igne & ferro cuncta vastantes, præsertim Ingriam & Valandiam spoliantes, Duce & Principe Matthiâ Ketelmundson. Quibus perpetratis reversi ad naves, prospero navigio in patriam redierunt eo tempore, quo Regina post partum purificationis gratiâ templum ingressa primogeniti sui Magni puerperio est dotata, festo videlicet Michaëlis, toti patriæ gaudio duplicato: tum quia natus esset Regi primogenitus, futurus, ut sperabatur, regni gubernator, rector & hæres; tum quia optata & desiderata nova de adventu pugnantium, & incolumitate remanentium sunt audita. Sed extrema gaudii luctus subsequens occupavit. Victualia enim eorum in castro novo Landzkrona, in multa abundantia comportata, cum murus adhuc novus esset & humidus, supervenientis æstatis ardore, omnia in putredinem sunt conversa, ut homines inde gustantes morbos diversos incurrerent, ita ut cum in mensa sederent, dentes eorum à faucibus laberentur, morbo specialiter illo qui dicitur Hyposarcha, vulgariter autem Skiörbiugg, totâ pæne multitudine laborante, ut multis excedentibus à vita, multis & de loco fugientibus, castrum relinqueretur quasi absque habitatore. Et cum quidam ex eis mittere in patriam pro novis & recentibus victualibus decrevissent, Miles quidam restitit dicens, non debere inquietare cor Marschalci, quia potens esset Deus eis modo alio subvenire.

Medio tempore Rutheni considerantes, quale præjudicium eis incumberet ex hujusmodi fortalitio sic erecto, collegerunt exercitum multitudinis admirandæ, partem tamen aliquam præmittentes, tales insidias prætendentem. Mittuntur enim aliqui, sed pauci, ad ostia amnis ubi in mare labitur, quasi

quasi meatum sive transitum præclusuri, reliquis procul stantibus,& eventum rei expectantibus; Et cum egressi fuissent ex castro, intercepti ab eis morti traduntur, aut captivi ducuntur. Visis igitur his qui ad extrema amnis tendebant, hi qui remanebant in castro, cum vix essent XX. sumptis armis festinabant post eos, ut scirent quid operis essent aggressuri, & venientes ad ripam ubi fluvius præceps ruit in mare, neminem repererunt, nisi ligna duntaxat, & palos præacutos, quos vel disposuerunt, ad claudem dum meatum amnis, fundo infigere, vel se simularunt id facturos. Inde ergo reversi, & ad castrū denuo regressuri, in latentes insidias inciderunt. Triplici enim statione disposuerunt turmas suas sed omnes has in multo hostium cruore, nec absque gravi sua læsione transeuntes, salvi pervenerunt ad castrum. Tunc repente grandis supervenit exercitus, & strictâ obsidione circumcinxit inclusos; nec erant in castro nisi XIII. viri, qui possent arma movere, aliis jam præmortuis, vel languentibus, vel egressis. Hostes igitur præ foribus existentes, & diu noctuque diros facientes insultus, ac crebra vicissitudine alternantes, infatigabiliter pugnaverunt. Viri autem XIII. pugnantes de castro, nullum habuerunt penitus sublevamentum. Igne igitur injecto cum cuncta ædificia jam arderent, quidam in locis suis telis aut incendio perierunt, & qui decumbebant ægroti, gladio necabantur, aut igne; qui vero fugere potuerunt, in quodam cellario diutissime se defenderunt. Capitaneus autem Dominus Steno loquutus est pro omnibus, ut eos vivos & captivos acciperent, & perpetuæ adscriberent servituti, & in hæc verba armis projectis, ultro se hostibus tradiderunt. Dixit autem unus cui nomen Torchillus Anderson, ne inquietetis Marscalchum. At illi nulla ad hæc responsa reddentes, gladiis eos & hastis crudelissime perforabant. Qui vero se in cellario incluserant, tandem pugnando viriliter restiterunt, donec præstitis juramentis de vitæ securitate & membrorum sospitate, exirent ad hostes, qui & captivi cum spoliis fuerunt abducti. Sic terminata est lætitia de triumpho jactato.

Hunc timeat casum, qui se non tempore munit.

Anno Domini MCCC. fuit annus Iubilæus sub Bonifacio Papa, & Reges Sueciæ & Angliæ concordati.

Eodem anno Imperator Tartarorum, fugato Soldano, acquisivit Ierusalem,& totam Terram Sanctam, subjiciens eam asseruit Christianitati, prætendensque assignari eam Principibus Christianis, sed non crediderunt ei. Dicitur etiam tunc scripsisse Domino Apostolico, asserens se velle fieri Christianum. Tunc quoque ædificatum est in malo signo castrum Landzkrona, & tunc obiit Dominus Petrus Episcopus Arosiensis Nidrosiæ, exulans à regno propter minas Domini Torchilli Marschalci. Eodem anno perfecta est Ecclesia Monialium de Scogu, & à Domino Nicolao Archiepiscopo consecrata cum XII. virginibus, in die Beati Augustini, quæ erat Dominica &c. Anno Domini MCCCIX. regnum Daniæ erat sub interdicto propter Episcopum Lundensem. Anno Domini MCCCI. apparuit cometa, qui coruscationem velut flammam ignis, per quatuor partes effundere videbatur, circa festum Michaëlis, & deinceps per VIII. hebdomadas in occidente,& tunc destructum est castrum Landzkrona à Ruthenis.

Anno Domini MCCCII. coronatus est Birgerus rex Sueciæ, Sudercopiæ cum regina uxore sua Mareta, ubi creatus est in Militem frater regis Dux Valdemarus, cujus tunc sunt nuptiæ ibidem celebratæ cum filia Marschalci Domini Torchilli Knutson. Sed processu temporis propter spiritualis cognationis obstaculum sunt, celebrato inter eos divortio, separati. In quarum nuptiarum Regalium & Ducalium solennitate mirifica, Dux Ericus frater regis accepit scripta regis Norvegiæ, cujus filiam pulcherrimam virginem desponsaverat, ut transactâ festivitate coronationis, & nuptiarum regis Birgeri, festinaret ad eum Aslogiæ existentem, ut cum eo duceret festi Nalis Dominici festiva solennia. Dux igitur Ericus assumptis secum multis nobilibus & potentibus viris, Dominis scilicet Amberno Dapifero, Matthiâ Ketelmundson postea Dapifero, viro validissimo, Petro Porse juniore, Arvidoque, cum multis aliis famosis & strenuis; cui etiam cum turba magnifica in Norvegiam transeunti, junxit se Comes de Vardberg cum multis nobilibus regni Daciæ, sed profugis ob necem regis Erici: cui venienti rex Haquinus cum tota Norvegiæ Baronia occurrens, in multe favore suscepit, similiter Regina. Vniversa autem populi multitudo

ad

ad contemplandum novos hoſpites congregatur. Iam enim fama celebris præceſſerat de Ducis Erici venuſtate,& morum honeſtate multiplici. Poſtquam autem cum rege Haquino, ejusque Conſorte, cæterisque nobilibus regni Norvegiæ, aliquanto tempore in multa jucunditate moram traxiſſet, acceptâ licentiâ cum ſua nobili comitiua, honore illic ampliſſimo habitus, in patriam eſt reverſus. Horum igitur nobiliſſimorum principum, Domini regis Birgeri, & fratrum ejus durante concordiâ, multa vigebat gloria & proſperitas regni Sueorum.

Sed in hac re ſcire didiciſti, *quam brevis eſt riſus, quam longaque lacryma mundi*. Regnum Sueorum ſimile civitati convenarum, multos nutrit alienigenas diverſarum nationum, ſimilis conditionis cum indigenis, aut forſan melioris ob cauſſam quandam ſuperius memoratam. Hi deſiderant diſſenſionem & diſcordiam in regno fieri, quâ datur occaſio ditandi rapaces, vagos & profugos, & non habentes in eo ſtabilem manſionem. Anno Domini MCCCIII. Marſcalchus regni Torchillus Knutſon, viduatus duxit uxorem de Alemannia, filiam Comitis de Ravensburg, nuptiis in oppido Stocholmenſi magnificè celebratis, Rege & Ducibus pariter invitatis. Nuptiarum autem ſolennitate peractâ, tractis in partem Principibus ad colloquium, idem Marſcalchus pro ſui ſervatione, & abſolutione multa replicans retroacta, cæpit diſſerere quomodo pater eorum in ſuis extremis, curæ ſuæ commiſiſſet eosdem adhuc parvulos, & minorennes exiſtentes, cum eorum divitiis & hæreditariis bonis, cum humiliatione quadam dulciſona ſe eorum gratiæ ſubmittens, proteſtans & adjiciens, quod quicquid eorum honori convenerat, pro poſſe procuraverit: Quem ſemper ſe ſitire dicebat, ad hoc finaliter tendens,ſaltem ſermone,etſi non intentione, quod eo abſoluto tũ ratione ſenii, labore tũ laborum multorũ hactenus portatorum,alter aliquis aſſumeretur loco ſui,utilior forſan & expeditior in agendis,offerens ſe nihilominus benevolum & paratum, ubi & quando ſibi aliquid per eos fuerit imperatum: Tunc rex cum fratribus ſuis eo vocaliter commendato, ſed nullo certo dato reſponſo, colloquium diſſolverunt, ad alia facienda converſi. Duces autem volentes amodo eſſe ſui juris, &

par-

partem sibi debitam habere de regno, à bonis forte sociis informati, quomodo pater eorum cum esset & ipse Dux, fratrem suum regem Valdemarum abjecerit à regia dignitate. Cæperunt cum certis habere colloquium, & inito consilio, elegerunt sibi provisorem & directorem Dominum Ambernum Dapiferum; Marscalchus autem Torchillus etiam post, sicut anteà mansit super negocia Regis. Et hac divisione negociorum & provisorum, facta est divisio animorum. Ab hoc enim tempore dispositio regni hactenus valde bona; in contrarium est conversa. Dicunt quidam quod præfatus Torchillus, vel ob statum proprium post secundas nuptias excellentiorem, vel parti Regis nimium favorizans, ad multa gravamina regnicolis imponenda, Regem induxerit informando; sed & sua temeritate quasi adhuc imperans imponendo; Ideoque omne meritum, favor, industria & commendatio, in priori suo regimine conquisita, in multum rancorem & displicentiam transierunt. Tunc enim ratione Reginæ, importabilibus tributis & exactionibus gravabatur, propter nuptias tam magnifice celebratas populi communitas. Tum cæpit dissensio inter Ecclesiam & Coronam, quia Regales Ecclesiam secularem, & claustra tributis & exactionibus subjecerunt. Anno enim Domini MCCCIII. supra dicto, voluit rex Birgerus per suggestionem Torchilli Marschalci, Dominum Archiepiscopum & alios Episcopos captivasse. Eodem anno electus est in regem Suecæ Domicellus Magnus filius Birgeri regis, ut ipso deficiente, filius ejus senior tam à Ducibus quam ab Episcopis, & omnibus Consiliariis regni, patre mortuo regnaturus. Cui omnes meliores regni, sicut patri, promiserunt assistentiam contra quamcunque personam. Specialiter autem obligavit se fidelitati Regis, & liberorum ejus, Reginæque Dominus Torchillus Knutson prædictus, juramento, litteris & sigillis. Cui etiam rex Birgerus litteras patentes concessit multorum privilegiorum; quod eum non invitum amoveat, nullum ei præferat, in nullo tractatu excludat.

Anno Domini MCCCIV. incepit dissensio & discordia gravissima inter regem Birgerum & fratres ejus, quæ regnum Sueorum graviter afflixit, & miserabiliter laniavit, ita ut à prima inhabitatione hominum in hac terra, usque ad hoc tem-

tempus, vix fuerit unquam tantis malis oppressum. Et nota quod circa hæc tempora cœpit prophetia super statu ipsius regni, revelata S. Birgittæ, sicut imminente Babylonica captivitate, prophetia revelata est & scripta in Iudæa. Hoc anno Torchilllus Marscalchus invitavit tres fratres principes memoratos ad castrum Aranes, solennissima illic habita invitata. Qua finita, cum jam essent in præcinctu revertendi, & ad propria redeundi, Rex provisus & præmeditatus traxit fratres ad partem, dicens puomodo avisatus esset, & certissime informatus, quod ipsi intenderent exire de regno, & se ei opponere, & in ejus præjudicium seditones ei intentare. Et breviter se expediens sub disjunctione proposuit, nempe si hæc intenderent, eum desuper avisarent aut si pacem cum eo habere potius eligerent, in continenti suis sigillis & literis id confirmarent. Iam autem litteræ conscriptæ habebantur in promptu, ad Regis conceptæ & compositæ voluntatem. Et forsitan auditum non fuerat, quod illi usque ad id tempus aliquid in Regis præjudicium molirentur. Sed hoc modo hostis antiquus ad futurum disturbium Regis animum incitavit. Tunc illi in arcto positi, & hac alternatione constricti, eligentes quod hac vice tutius erat, consenserunt juxta Regis voluntatem hujus tenoris litteras sigillare.

Vniversis præsentes litteras inspecturis, Ericus Sueorum, & Valdemarus Finlandiæ, Dei gratia Duces, salutem in Domino sempiternam. Tenore præsentium constare volumus evidenter, nos Magnifico Principi ac Domino, D. Birgero, Dei providentia Sueorum Gothorumque regi semper illustri, fratri nostro charissimo, ex mera & libera voluntate firmiter promisisse, fide præstita corporali, quod nos extra regnum suum nunquam movebimus, nec aliquatenus transferemus sine ipsius Domini nostri regis requisitione speciali, & licentia pariter petita & obtenta. Promittimus etiam quod in præsentiam ipsius Domini nostri regis nullatenus veniemus, nisi per ipsius litteras, aut mandatum certum ad determinatum nobis diem, & in locum fuerimus vocati. Et cum taliter vocati fuerimus, ad ejus præsentiam veniemus cum tot personis & equitaturis, quot ipse Dominus noster rex per suas literas, vel mandatum certum nobis duxerit limitandos. Cæterum promittimus ac fide stabili spondemus, quod per nos, aut nostros,

vel

vel alios quoscunque, litteris vel nunciis, extra regnum vel intra, nunquam talium quicquam movebimus sive faciemus, nec moveri nec fieri procurabimus, nostris consiliis vel factis, palam vel occultè, de quo, vel quibus, ipsi Domino nostro Regi, aut uxori suæ charissimæ Dominæ Merete reginæ illustri, aut liberis eorum, sive etiam eis fideliter adhærentibus, damnum aliquod aut nocumentum posset provenire. In cujus rei testimonium, robur & evidentiam, secreta nostra, quia penes nos alia sigilla non habemus, præsentibus duximus apponenda. Datum apud Aaranes, anno MCCCIV. pridie Kalend. Maii.

Anno a. præcedenti sigillabant litteras electionis Domicelli Magni filii Birgeri regis, in regem die B. Ioh. Baptistæ electi. Datis his litteris statim ab invicem, sed amicabiliter, quantum videri vel apparere potuit, separantur, Rege properante ad VVisingzöö, & Ducibus ad Rackaby. Paucis autem exinde diebus evolutis, Duces ad Regis præsentiam per litteras præceptorias evocantur, vivæ vocis oraculo responsuri ad ea, quæ in eorum absentia famabantur. Quibus acceptis, licet salvi conductus vicem præferre viderentur, milites qui Ducibus adhærebant fidem adhibere nolentes, sibi de subrerfugio providebant. Solus Dux Ericus cum paucis clientibus, Regis se conspectui præsentavit, multâ morum honestate, & status decentiâ, & salutationis ac reverentiæ urbanitate, ut sui moris erat, Regem officiosissimè salutans. Quâ salutationis & humilitatis exhibitione contemtâ, Rex torvo vultu & animo indignanti intueri cæpit, moxque per Episcopum quendam qui in ejus tum erat præsentia constitutus, articulos quosdam jussit recitare in publicum; in quibus quædam Regiæ dignitatis offensæ, quibus Ducem deliquisse dicebat, continebantur inscriptæ. At ille noluit, dicens talia convenientius per alium quam per eum, cum presbyter esset, potius proponenda. Tunc Miles quidam qui aderat jussus à Rege infra scriptos articulos, Duce stante ac tacente, proposuit. Primus quod contra Regis expressum mandatum, fecisset exportare de regno esculenta sive victualia, in annona, in butyro, lardo & aliis quibuscunque, in magnum detrimentum regni, & in contemptum non modicum Regiæ Majestatis.

II. Articulum esse dicebat, quod Dux armatâ manu transierit

ierit per terram Regis, cum hostibus S. M. faciendo violentiam contra immunitatem Coronæ.

III. Articulus, quod miles Ducis verberasset portarium regium, qui castrum custodiebat ejus, pro eo quod noluit eum intromittere.

IV. Quod curiam suam multâ pompa hastilusorum replesset, ita quod in omni studio militari, Regales milites & ministri nihil essent in comparatione militum Ducis; Quæ omnia fieri asserebat in Regis odium & contemptum.

Tunc Rex in furore surrexit, & nimia ira repletus dicebat: Si non assecurassem vos litteris meis, jam experientia cognosceretis quid mercedis reportare deberetis: sed usque ad solis occasum induciæ vestræ durabunt. Ad hæc uno tantum verbo Dux responsa refudit: *Vtrum scilicet securum eum abire liceret*? Quem Rex mandavit festinanter discedere, & sibi prospicere in futurum. Et in continenti cum consueta solennitate & jurejurando sunt à regno perpetuo profugi judicati, & exilio deputati. In hac vero angustia & temporis penuria nobiles Principes constituti, quid eligerent ignorabant. Veruntamen quia periculum erat eis in mora, cursu præcipiti regni limites egredi festinabant. Sed quo diverterent, nescii ferebantur in incertum. Considerantes autem quod Ericus rex Daciæ gener eorum esset, utputa habens sororem eorum uxorem, sperabant consolationis aliquid apud eum invenire, & idcirco versus Daciam duxerunt continuo gressus suos. Ad Regis autem Daciæ præsentiam venientes, minus hilariter ab eo suscepti, minusque favorabiliter habiti, doloribus suis dolore super addito consternati, brevi apud eum tempore perstiterunt. Confiscantur interim eorum bona, & castrum Nycopense de manibus eorum ereptum, à Regis satellitibus occupatur. Rex quippe Danorum, etsi Ducibus esset affinis, eorum scilicet sorori matrimonio copulatus; Regi tamen Birgero amplius attinebat, eo quod alter alterius sororem haberet uxorem. Sed & regina Sueorum Mereta, apud fratrem suum Regem Daciæ pro Ducum contumelia & opprobrio, ut potuit, laborabat. Pausabant tamen in Dacia, donec eadem æstate celebrato apud Fragedaal parlamento, convenissent ibidem Reges, Birgerus Sueciæ & Ericus Daciæ, spem habentes quod in hoc colloquio aliquid

ex

ex parte eorum pro pace & concordia tractaretur. Sed cognito quod pro eorum potius fuisset exterminio laboratum, in Norvegiam diverterunt, exponentes Regi Norvegiæ Haquino, quomodo frater eorum bonis hæreditariis, & parte regni eis debita spoliasset, & insuper eos vita privare intenderet. Tunc rex Haquinus piè eis compatiens, promisit se fideliter pro eis laboraturum apud fratrem eorum in gratiam restituendis. Quod si minus proficeret, asseruit se eorum necessitatibus affuturum, vel non defuturum. Vnde ad preces Reginæ Norvegiæ mox assignavit eis civitatem & castrum Kungella. Quo accepto, victualibus ipsum & armis fortissime munierunt. Distat autem Kungella à Ludosia duobus milliaribus. Audiens igitur rex Birgerus, quod fratres sui Duces munitionem illam occuparent, suspicatus est quod exinde latrocinia & deprædationes in regno Sueciæ exercerent, propter quod quanto citius erexit fortalitium munitissimum in Gulbergzhed, ut esset obstaculum volentibus ex ea parte Vestrogothiam incursare: Sed habebant Duces validissimos & expeditissimos bellatores. Quia non obstante castro prædicto Gulbergzhed, continuis incursionibus Vestrogothiam invaserunt, & rapinam inde innumeram distraxerunt, captivantes Benedictum Legiferum Vestrogothiæ, & inde Ludosiam bonis omnibus spoliantes, & tandem eam igne funditus concremantes. Et alia damna quamplurima regno Sueciæ inferentes, ædificarunt castrum in Daal, Dalaborg nominatum, affligentes rusticos circumpositos oneribus importabilibus in erectione fortalitii memorati.

Tunc rex Birgerus misit octo Milites sibi fidelissimos, qui observarent vias & transitus qui esse possent inter Norvegiam & Daal, ut essent præsidio habitantibus illic contra Ducalium satellitum insidias & insultus. Qui partes illas intrantes, apud fluvium & pontem Agnabro consederunt, & pontem submoventes & dissipantes, fluvium impertransibilem reddiderunt: sed nihilominus non longe à fluvio moram trahendo pausabant. Quo cognito, Dux Ericus fidelem suum vocat Matthiam Ketilmundson, virum strenuum, audacem, & in rebus bellicis virum expertissimum, asserens locum esse prædæ obtinendæ. Quo ad prælium exultante, Dux adjecit: *Ne lateris in vacuum, quia nulla*

est

est tibi facultas fluvium transeundi; Iam enim illi pontem dissipaverunt, nec duo ligna relicta sunt pariter. At ille: *Si etiam pontem totaliter combussissent, ego fluvium, vita comite, pertransibo.* Assumptis ergo quos voluit de familia Ducum eques pervenit ad fluvium cum jam noctis tenebræ, ut nemo ab altero videretur, adessent. Ductore igitur Matthiâ iter periculosum agressi, lati & profundi fluminis alternatis passibus natando & vadando, omnes salvi, uno duntaxat excepto, alterum littus attingunt. Flamma vero struis accensæ hostium indicat stationem: Lento igitur gressu & furtivo tandem accessu, in hostium castra irrumpunt, & quodam currente, & adventum hostium nunciante, quonam in loco Milites Regis dormirent deprehendunt. Dissilientes ergo festinanter ab equis, irruunt in stubam, in qua octo Milites, quos Rex illuc direxerat, dormiebant, inermes & nudos eos sine difficultate captivant. Reliquam deinde multitudinem concludentes, divisis spoliis, armis, equis, pecuniis & vestibus, cæterisque omnibus quæ apud eos reperire poterant, captivam duxerunt captivitatem, dona dederunt hominibus, Dominis scilicet suis Ducibus, quorum authoritate & intuitu hæc egerunt. Tunc rex Birgerus de toto regno suo grandem collegit exercitum, X. millia robustorum, ascendens cum eo in propria persona; ut castrum Daleborg obsideret. Quo intellecto, Duces supplicavere regi Haquino, ut auxilium ferret castro Daleborg conservando. Ille vero eorum precibus inclinatus, fideles suos ad se convocans, jussit eos cum Duce Erico ad tuendum castrum suum in Sueciam ire. Quâ ille expeditione munitus, moræ impatiens ad succurrendum suis in castro relictis, festinus accelerat: Vterque igitur exercitus loco certaminis appropinquat, & cum jam in procinctu congrediendi adessent, prudentum consilio & rogatu ad concordiam redierunt. Et ad hoc res gesta est, ut Duces in gratiam Regis recepti, bona hæreditaria, & partem regni sibi debitam obtinerent, & donaria quædam Regiæ magnificentiæ sortirentur.

Erat nihilominus Dux Ericus illius apud regem Haquinum prærogativæ, ut castro Kongella semper sibi salvo, posset in regno Norvegiæ, ubicunque liberet, moram trahere; aut eligere mansionem. Quâ Regis benevolen-

tiâ uon contentus, quadam die dum Rex hilarior esset petivit sibi concedi castrum VVardbergh. Ad quod Rex ita respondit: *Non est nostrum concedere, quod non in nostra residet potestate. Castrum enim VVardberg Comiti Iacobo attinet, & est suum.* Cui Dux: *Si quo modo Comes Iacobus consentiret castrum dimittere pro pecunia, sive argento, valde mihi accommodum foret.* Et insistente, circaque id ipsum labotante, & inducente ipso Duce Erico, Comes præfatus pro certa summa pecuniæ, VVardberg cum attinentiis tradidit regi Haquino, & effectualiter assignavit. Quod ille mox Duci Erico concessit, cum media terra Hallandiæ. Et nota quod hæc sint gesta regnante in Dacia Erico potentissimo. Qui nec regi Norvegiæ favebat, cum quo sæpe dissensit, nec Duci Erico, faciente Reginâ Sueciæ sorore suâ, nec Comiti Iacobo, suspecto pro occisione regis Erici patris sui. Et tamen se de his tractatibus, de castro VVardberg & terra Hallandiæ minime intromisit, quasi diceret: Nihil ad nos de his quæ foris sunt.

Anno Domini MCCCV. facta est concordia inter Regem Birgerum & fratres ejus Dominos Duces, in die B. Sigfridi. Similiter inter regem Daciæ, & regem Norvegiæ, sed parum duravit. Eodem anno obiit Dominus Nicolaus Alonis, Archiepiscopus Vbsalensis, & postulatus est Dominus Nicolaus, prius Episcopus Arosiensis. Hoc anno captivatus est per Regem & Duces, Dominus Torchillus Knutson Marscalchus, & quondam regni gubernator, & horum fratrum Principum tutor & educator. Captus est autem in Lenom, & compedibus constrictus, ad Stocholm perductus & incarceratus, & tertia exinde die celebratum est divortium inter Valdemarum Ducem, & Christinam filiam Domini Torchilli, qui Ducem Valdemarum de sacro fonte levaverat. Captus est circa festum Nicolai, & circa carnisprivium in Sudermalm decapitatus, & ibidem sepultus, negata ei etiam Ecclesiasticâ sepultura. Sed circa festum Pentecostes obtentum fuit à Rege, ut inde translatus, sepeliretur apud Minores conventus Stocholmensis. Hæc egit in eum rex Birgerus consilio fratrum suorum Ducum, nesciens in quem finem tenderent consulentes. Qui eodem anno ipsum Regem captivarunt Consiliariis de-

destitutum. Fiunt enim amici Herodes & Pilatus; & crucifigetur Christus.

Eodem anno captivati sunt à Domino Erico, Dominus Benedictus Legifer Vestrogothorum, & Dominus Gunno Grijs. Anno Domini MCCCVI. circa festum Nativitatis gloriosissimæ virginis, Duces celebrant nuptias quibusdam servis suis in Bielbo; in multa pompa & solennitate ac gloria seculari. Miserunt autem his diebus omnem penè multitudinem servorum suorum ad curiam suam Hundhamar, quæ erat circa Kolmaren, aut ad alia quædam loca Vplandiarum, diligenter instructorum de agendis. Erat enim Ducū hæc industria in malum, ut venirent ad Regem in potentia, sed occulte, quem captivare volebant. Fama igitur de nuptiarum solenniis, illic eos esse narrabat, sed jam eorum exercitus in Vplandia expectabat. Finitis ergo nuptiis antedictis, continuo Duces cum paucis post servos præmissos, sine famæ præconio ascendentes, ad curiam suam Hundhamar equites pervenerunt. Vbi relictis equis, & servis assumptis, furtivo discursu venientes ad Meler; ubi major poterat navium copia reperiri; quas intrantes, & armis ac viris implentes, veloci remigio pervenerunt ad Hatuna. Vbi tunc didicerant Regem cum Regina & liberis in regali curia residere, die Archangeli Michaëlis, horâ quâ Rex meridie pausabat in mensa. Qui Benigne ac fraterno favore suscepti à Rege; traditis sibi certis domibus ad manendum. Vestes & quæ in navibus attulerant, induxerunt in illas. In quibus familiares Ducum occulte se ad prœlium munientes, & arma necessaria inducentes, parati ad prædam, Dominorum suorum super agendis imperium expectabant. Die igitur ipso B. Michaëlis ad occasum sole vergente, Regem captivandum invadunt; cum ipso Reginam & liberos, duos filios ac filiam; Dominum etiam Nicolaum Episcopum Arosiensem, & sex Milites, & sedecim Armigeros captivantes. Vnus autem servorum Regalium, Arvidus nomine de Smalandia oriundus, in ipso captivitatis tumultu rapuit primogenitum Regis Magnum, & usque in Daciam portavit in humeris suis, veniensque cum eo ad regis Danorum Erici, fratris matris illius præsentiam, eum in gremium Regis injecit in multo profluvio lacrymarum.

LIBER QVARTVS HISTORIÆ SVECORVM GOTHORVMQVE.

Rex igitur captivatus, juxta quorundam consilia, assignavit Duci Erico regnum cum omnibus castris, civitatib. & munitionibus, & debito fidelitatis. Licet præfecti castrorum nihilominus aliquanto tempore secundum fidelitatis debitum, ad manus Regis castra tenerent. Quæ tamen Duces mox omnia obsidentes, infra annum cum totius regni obedientia obtinebant. De loco proinde captivitatis cum rege properantes, Holmense oppidum quidem acceperant primo accessu. Sed qui castrum tenebant, responderunt se non daturos, quamdiu scirent regem vitam agere in humanis. Ponentes igitur Duces obsidionem ante castrum Holmense, & Matthiam Ketelmundson, virum industrium, obsidentibus præficientes, duxerunt captivum suum in Nicopiam, arctæ custodiæ mancipantes, sed vitæ necessaria & solatia in abundantia ministrantes. Interim Rex Danorum ingentem paravit exercitum, iturum in Sueciam ad liberandum à captivitate regem Birgerum, & ad compescendam Ducum insolentiam attentatam. Quo comperto, Duces ipsi collecto quam velociter exercitu, ad regnorum confinia properabant. Sed intellecto quâ Daci vitâ niterentur intrare, ad locum illum, ut eis occurrerent, festinabant, venitque prior Sueorum exercitus ad fluvium Bogasund; ubi postquam octo diebus expectasset, supervenit Danorum armata phalanx, & terribilis acies ordinata. Ad cujus conspectum Sueorum audacia nihil mota; congressum expectabat impavida. Agentibus autem viris industriosis & sagacibus, unius anni inter eos induciæ sunt firmatæ. Sequenti vero æstate Dux Finlandiæ VValdemarus, transiit ultra mare peregrinationis gratia. Dux autem Ericus transiit in Norvegiam circa festum Olai, spem habens quod regis Haquini filia sibi matrimonio traderetur, cum qua contraxerat matrimonium de futuro. Paraverat autem in Kungella nuptiarum expensas sumptuosas, tanquam

quam certus & indubius matrimonii consummandi. Regem proinde Norvegiæ accessurus, invenit eum in Krakö, cui cum de filia ducenda faceret mentionem, Rex repetiit castrum VVardberg, quod ei, fide mediâ, commisisset, adjungens nisi castrum restitueret, filiam suam obtinere non posse. Cui Dux in hæc verba respondit: Gudh gifwe henne lycka ehwar hon går: Wardberg får tu ey åter i åhr. *Deus ipsi prospera quæque concedat, ubicunque versatur. VVardbergam non recuperabis hoc anno.* Instabat etiam comes Iacobus ut castrum suum recuperaret, sed uterque laborabat invanum. Conversus inde transiit ad Kungella, & cum servis suis ac amicis paratas expensas pro nuptiis, in multa lætitia consumebat. Dux autem VValdemarus tempore peregrinationis suæ in partibus alienis, in his devotionibus suis mercede conduxit stipendiarios DCCC; cum equis & omni armorum bellico apparatu; Quos præcedens in patriam, paravit necessaria tantæ multitudini adventantium bellatorum. Tunc Dux Ericus destructo in parte castro Holmensi, elegit de Vplandia D. electissimos bellatores. Et quia festum Natalis Domini tunc instabat, quo treugæ inter regna firmatæ non erant amplius duraturæ: appropinquante v. fine treugarum, Duces cum suis Militibus, stipendariis & Armigeris congregatis, Danorum finibus appropinquant; quod cum audisset rex Danorum Ericus, paulatim præire disposuit exercitum suum, ut occurreret Ducibus Scaniam defensurus. Iamque pars exercitus ejus passagium Oeresund transierat, quam in manu fratris sui dederat, erantque victualia in abundantia comportata, ut Rege veniente cum exercitu principali, commode posset tanta multitudo pugnantium sustentari, sed alii in labores eorum intraverunt. Prævenerunt enim Principes regni Suecorum, Duces Ericus & VValdemarus, & quæ parata erant Regi Danorum, & exercitui suo pro festo Natalis Domini, & expeditione continuanda, subito superveniens Suecorum exercitus, per duos dies & noctem unam, in oppido Oednabyung, ubi hæc comportata fuerant, conquiescens, larga dispensatione consumpsit. Vbi etiam fratrem Regis Daciæ cum C. armigeris & totidem equis, & rebus multis bellicis captivabant. Inde progressi, lento dis-

discursu omnem pene Scaniam lustrantes, ignis incendio devastabant, pausabantque die & nocte Natalis Domini in villa Graneby, fugientibus incolis ad latebras & condensa sylvarum. Tendentes autem versus Hallandiam, nulla reliquerunt ædificia incombusta, donec intrassent Hallandiam, cui omnino pepercerunt ab igne, quia Dux Ericus habebat castrum VVarberg à rege Norvegiæ Haquino, & cum castro mediam Hallandiam. Alteram vero medietatem habebat Christopherus frater Regis Daciæ, quem Dux Ericus asseruit esse suum amicum. Nihilominus tam Hallandiam quam VVestrogothiam miserabiliter vastaverunt, omnia quæ invadi poterant, consumentes & reliqua spolia auferentes. Erat enim major pars exercitus eorum Alemanni, quos adduxerat Dux Valdemarus, qui ideo venerant ut divites fierent spoliando, nec erat qui eos à spoliis prohiberet. Rex autem Danorum qui populum plurimum congregaverat, destitit eâ vice à pugnando, nec attentavit pro tunc aliquid contra Duces, eo quod in tota Scania & VVesgothia, & in omni loco per quem transiturus fuisset, nulla omnino victualia haberentur. Providerant enim Duces ne quid remaneret intactum, unde Rex posset cum suis vel breviter sustentari. Sicque Duces pacifice, salvo suo exercitu, perviam unam quasi aquilæ volantes, Scaniam intraverunt, & per aliam viam regressi sunt in regionem suam. Dimiserunt igitur Suecos milites & satellites singulos in domos suas; Alemannos autem per civitates regni divisos constituerunt, ut cives eos in personarum victualibus sustentarent; rustici vero circumpositi necessaria eis pro equis deferrent. Discurrebant autem servi, & viliores Alemannorum per villas & oppida rusticorum, rapientes & vendicantes sibi quæcunque voluerunt. Sed accidit unum ex his qui Sudercopiæ degebant, excurrentem ad rusticos, & more solito rapientem ab uno rusticorum, aut pluribus vulnerari: unde commoti Alemanni, qui illic morabantur, armati in multitudine & præparati ad bellum, Alemanni rusticorum multitudinem occiderunt. & hæc faciebant impune. Et reputantur Sancti qui tantis malis guerrarum, homicidiorum, rapinarum, aut cæterorum innumerabilium malorum, nullo jure, sed solâ suâ superbiâ præstiterunt occasionem.

AEstate sequenti, anno scilicet Domini MCCCVIII. rex Danorum Ericus, tantorum damnorum & injuriarum non immemor, immensum exercitum congregatum direxit in Sueciam, quem duxerunt capitanei, Comes Holsatiæ, & Dux Slesvicensis VValdemarus, multis eis Principibus sociatis. Sed non dormiebat ille contra quem venerant pugnaturi. Non dum enim ultra præcesserant, quam ad Liungaby, in quem se receperunt quietis caussa. Et ecce subito, & ex insperato supervenit ex adverso Dux Ericus, non quidem in multitudine, sed animositate & fortitudine pugnatorum, de pari pugnare paratus. Sed extitit utrinque tractatum, ut treugæ unius anni & dimidii firmarentur; & sic interim ageretur, ut rex Birgerus à captivitate solveretur, & ad liberatem & gradum suum restitueretur: Rex Danorum cum suis contentus esset, pacem & concordiam intra regna etiam consequenter durare. Sicque uterque exercitus ad loca sua, & in patriam se recepit, non æstimatis expensis & damnis, quæ VVestrogothi, & alii per quos transierant, sustinebant. Duce igitur cum Consiliariis regni Sueorum dietam celebrantes in Oerebro, cœperunt maturo consilio causam Domini regis Birgeri ventilare, & diutius pertractare, quonam modo esset habendus in futurum, ut & pax fieret inter regna, & quod honoris esset & rationis, ageretur cum eo; Et nihilominus cautela necessaria adhiberetur, ne, si libertati donaretur, regnum aut regnicolas, propter ea quæ contra eum gesta sunt, infestaret, maxime per exercitum aliunde forsitan adducendum. In hoc autem omnium qui aderant, de consensu & beneplacito Ducum, sententia residebat quod si Dominus Rex eos vellet certificare, medio suo juramento & litteris, ac aliis quæ fidem possunt efficere, contenti essent eum à captivitate dimittere, & partem regni non minimam assignare: Et hæc in Quadragesima ac in Oerebro sunt conclusa. Post pauca vero super eodem negocio, Nycopiæ constituti, accesserunt ad Regem in castro, audituri utrum vellet eorum subire sententiam, & quæ de eo concluserunt, approbare. Ille vero sicut improvidus indeliberate respondit; Conditiones omnes quascunque sibi præfigerent, indubitanter subire. Sicut igitur formam jurandi illi obtulerunt, ita ille præstitit juramenta. Et sicut litteras

vel alios quoscunque, litteris vel nunciis, extra regnum vel intra, nunquam talium quicquam movebimus sive faciemus, nec moveri nec fieri procurabimus, nostris consiliis vel factis, palam vel occultè, de quo, vel quibus, ipsi Domino nostro Regi, aut uxori suæ charissimæ Dominæ Meretæ reginæ illustri, aut liberis eorum, sive etiam eis fideliter adhærentibus, damnum aliquod aut nocumentum posset provenire. In cujus rei testimonium, robur & evidentiam, secreta nostra, quia penes nos alia sigilla non habemus, præsentibus duximus apponenda. Datum apud Aaranes, anno MCCCIV. pridie Kalend. Maii.

Anno a. præcedenti sigillabant litteras electionis Domicelli Magni filii Birgeri regis, in regem die B. Ioh. Baptistæ electi. Datis his litteris statim ab invicem, sed amicabiliter, quantum videri vel apparere potuit, separantur, Rege properante ad VVisingzöö, & Ducibus ad Rackaby. Paucis autem exinde diebus evolutis, Duces ad Regis præsentiam per litteras præceptorias evocantur, vivæ vocis oraculo responsuri ad ea, quæ in eorum absentia famabantur. Quibus acceptis, licet salvi conductus vicem præferre viderentur, milites qui Ducibus adhærebant fidem adhibere nolentes, sibi de subrerfugio providebant. Solus Dux Ericus cum paucis clientibus, Regis se conspectui præsentavit, multâ morum honestate, & status decentiâ, & salutationis ac reverentiæ urbanitate, ut sui moris erat, Regem officiosissimè salutans. Quâ salutationis & humilitatis exhibitione contemtâ, Rex torvo vultu & animo indignanti intueri cæpit, moxque per Episcopum quendam qui in ejus tum erat præsentia constitutus, articulos quosdam jussit recitare in publicum; in quibus quædam Regiæ dignitatis offensæ, quibus Ducem deliquisse dicebat, continebantur inscriptæ. At ille noluit, dicens talia convenientius per alium quam per eum, cum presbyter esset, potius proponenda. Tunc Miles quidam qui aderat jussus à Rege infra scriptos articulos, Duce stante ac tacente, proposuit. Primus quod contra Regis expressum mandatum, fecisset exportare de regno esculenta sive victualia, in annona, in butyro, lardo & aliis quibuscunque, in magnum detrimentum regni, & in contemptum non modicum Regiæ Majestatis.

II, Articulum esse dicebat, quod Dux armatâ manu transierit

ierit per terram Regis, cum hostibus S. M. faciendo violentiam contra immunitatem Coronæ.

III. Articulus, quod miles Ducis verberasset portarium regium, qui castrum custodiebat ejus. pro eo quod noluit eum intromittere.

IV. Quod curiam suam multâ pompa hastilusorum replesset, ita quod in omni studio militari, Regales milites & ministri nihil essent in comparatione militum Ducis; Quæ omnia fieri asserebat in Regis odium & contemptum.

Tunc Rex in furore surrexit, & nimia ira repletus dicebat: Si non assecurassem vos litteris meis, jam experientia cognosceretis quid mercedis reportare deberetis: sed usque ad solis occasum induciæ vestræ durabunt. Ad hæc uno tantum verbo Dux responsa refudit: *Vtrum scilicet securum eum abire liceret?* Quem Rex mandavit festinanter discedere, & sibi prospicere in futurum. Et in continenti cum consueta solennitate & jurejurando sunt à regno perpetuo profugi judicati, & exilio deputati. In hac vero angustia & temporis penuria nobiles Principes constituti, quid eligerent ignorabant. Veruntamen quia periculum erat eis in mora, cursu præcipiti regni limites egredi festinabant. Sed quo diverterent, nescii ferebantur in incertum. Considerantes autem quod Ericus rex Daciæ gener eorum esset, utputa habens sororem eorum uxorem, sperabant consolationis aliquid apud eum invenire, & idcirco versus Daciam duxerunt continuo gressus suos. Ad Regis autem Daciæ præsentiam venientes, minus hilariter ab eo suscepti, minusque favorabiliter habiti, doloribus suis dolore super addito consternati, brevi apud eum tempore perstiterunt. Confiscantur interim eorum bona, & castrum Nycopense de manibus eorum ereptum, à Regis satellitibus occupatur. Rex quippe Danorum, etsi Ducibus esset affinis, eorum scilicet sorori matrimonio copulatus; Regi tamen Birgero amplius attinebat, eo quod alter alterius sororem haberet uxorem. Sed & regina Sueorum Mereta, apud fratrem suum Regem Daciæ pro Ducum contumelia & opprobrio, ut potuit, laborabat. Pausabant tamen in Dacia, donec eadem æstate celebrato apud Fragedaal parlamento, convenissent ibidem Reges, Birgerus Sueciæ & Ericus Daciæ, spem habentes quod in hoc colloquio aliquid

ex parte eorum pro pace & concordia tractaretur. Sed cognito quod pro eorum potius fuisset exterminio laboratum, in Norvegiam diverterunt, exponentes Regi Norvegiæ Haquino, quomodo frater eorum bonis hæreditariis, & parte regni eis debita spoliasset, & insuper eos vita privare intenderet. Tunc rex Haquinus piè eis compatiens, promisit se fideliter pro eis laboraturum apud fratrem eorum in gratiam restituendis. Quod si minus proficeret, asseruit se eorum necessitatibus affuturum, vel non defuturum. Vnde ad preces Reginæ Norvegiæ mox assignavit eis civitatem & castrum Kungella. Quo accepto, victualibus ipsum & armis fortissime munierunt. Distat autem Kungella à Ludosia duobus milliaribus. Audiens igitur rex Birgerus, quod fratres sui Duces munitionem illam occuparent, suspicatus est quod exinde latrocinia & deprædationes in regno Sueciæ exercerent, propter quod quanto citius erexit fortalitium munitissimum in Gulbergzhed, ut esset obstaculum volentibus ex ea parte Vestrogothiam incursare: Sed habebant Duces validissimos & expeditissimos bellatores. Quia non obstante castro prædicto Gulbergzhed, continuis incursionibus Vestrogothiam invaserunt, & rapinam inde innumeram distraxerunt, captivantes Benedictum Legiferum Vestrogothiæ, & inde Ludosiam bonis omnibus spoliantes, & tandem eam igne funditus concremantes. Et alia damna quamplurima regno Sueciæ inferentes, ædificarunt castrum in Daal, Dalaborg nominatum, affligentes rusticos circumpositos oneribus importabilibus in erectione fortalitii memorati.

Tunc rex Birgerus misit octo Milites sibi fidelissimos, qui observarent vias & transitus qui esse possent inter Norvegiam & Daal, ut essent præsidio habitantibus illic contra Ducalium satellitum insidias & insultus. Qui partes illas intrantes, apud fluvium & pontem Agnabro consederunt, & pontem submoventes & dissipantes, fluvium impertransibilem reddiderunt: sed nihilominus non longe à fluvio moram trahendo pausabant. Quo cognito, Dux Ericus fidelem suum vocat Matthiam Ketilmundson, virum strenuum, audacem, & in rebus bellicis virum expertissimum, asserens locum esse prædæ obtinendæ. Quo ad prælium exultante, Dux adjecit: *Ne lateris in vacuum, quia nulla*

est tibi facultas fluvium transeundi; Iam enim illi pontem dissipaverunt, nec duo ligna relicta sunt pariter. At ille: *Si etiam pontem totaliter combusissent, ego fluvium, vita comite, pertransibo.* Assumptis ergo quos voluit de familia Ducum eques pervenit ad fluvium cum jam noctis tenebræ, ut nemo ab altero videretur, adessent. Ductore igitur Matthiâ iter periculosum agressi, lati & profundi fluminis alternatis passibus natando & vadando, omnes salvi, uno duntaxat excepto, alterum littus attingunt. Flamma vero struis accensæ hostium indicat stationem: Lento igitur gressu & furtivo tandem accessu, in hostium castra irrumpunt, & quodam currente, & adventum hostium nunciante, quonam in loco Milites Regis dormirent deprehendunt. Dissilientes ergo festinanter ab equis, irruunt in stubam, in qua octo Milites, quos Rex illuc direxerat, dormiebant, inermes & nudos eos sine difficultate captivant. Reliquam deinde multitudinem concludentes, divisis spoliis, armis, equis, pecuniis & vestibus, cæterisque omnibus quæ apud eos reperire poterant, captivam duxerunt captivitatem, dona dederunt hominibus, Dominis scilicet suis Ducibus, quorum authoritate & intuitu hæc egerunt. Tunc rex Birgerus de toto regno suo grandem collegit exercitum, X. millia robustorum, ascendens cum eo in propria persona, ut castrum Daleborg obsideret. Quo intellecto, Duces supplicavere regi Haquino, ut auxilium ferret castro Daleborg conservando. Ille vero eorum precibus inclinatus, fideles suos ad se convocans, jussit eos cum Duce Erico ad tuendum castrum suum in Sueciam ire. Quâ ille expeditione munitus, moræ impatiens ad succurrendum suis in castro relictis, festinus accelerat: Vterque igitur exercitus loco certaminis appropinquat, & cum jam in procinctu congrediendi adessent, prudentum consilio & rogatu ad concordiam redierunt. Et ad hoc res gesta est, ut Duces in gratiam Regis recepti, bona hæreditaria, & partem regni sibi debitam obtinerent, & donaria quædam Regiæ magnificentiæ sortirentur.

Erat nihilominus Dux Ericus illius apud regem Haquinum prærogativæ, ut castro Kongella semper sibi salvo, posset in regno Norvegiæ, ubicunque liberet, moram trahere; aut eligere mansionem. Quâ Regis benevolen-

tiâ non contentus, quadam die dum Rex hilarior esset petivit sibi concedi castrum VVardbergh. Ad quod Rex ita respondit: *Non est nostrum concedere, quod non in nostra residet potestate. Castrum enim VVardberg Comiti Iacobo attinet, & est suum.* Cui Dux: *Si quo modo Comes Iacobus consentiret castrum dimittere pro pecunia, sive argento, valde mihi accommodum foret.* Et insistente, circaque id ipsum labotante, & inducente ipso Duce Etico, Comes præfatus pro certa summa pecuniæ, VVardberg cum attinentiis tradidit regi Haquino, & effectualiter assignavit. Quod ille mox Duci Erico concessit, cum media terra Hallandiæ. Et nota quod hæc sint gesta regnante in Dacia Erico potentissimo. Qui nec regi Norvegiæ favebat, cum quo sæpe dissensit, nec Duci Erico, faciente Reginâ Sueciæ sorore suâ, nec Comiti Iacobo, suspecto pro occisione regis Erici patris sui. Et tamen se de his tractatibus, de castro VVardberg & terra Hallandiæ minime intromisit, quasi diceret: Nihil ad nos de his quæ foris sunt.

Anno Domini MCCCV. facta est concordia inter Regem Birgerum & fratres ejus Dominos Duces, in die B. Sigfridi. Similiter inter regem Daciæ, & regem Norvegiæ, sed parum duravit. Eodem anno obiit Dominus Nicolaus Alonis, Archiepiscopus Vbsalensis, & postulatus est Dominus Nicolaus, prius Episcopus Arosiensis. Hoc anno captivatus est per Regem & Duces, Dominus Torchillus Knutson Marscalchus, & quondam regni gubernator, & horum fratrum Principum tutor & educator. Captus est autem in Lenom, & compedibus constrictus, ad Stocholm perductus & incarceratus, & tertia exinde die celebratum est divortium inter Valdemarum Ducem, & Christinam filiam Domini Torchilli, qui Ducem Valdemarum de sacro fonte levaverat. Captus est circa festum Nicolai, & circa carnisprivium in Sudermalm decapitatus, & ibidem sepultus, negata ei etiam Ecclesiasticâ sepultura. Sed circa festum Pentecostes obtentum fuit à Rege, ut inde translatus, sepeliretur apud Minores conventus Stocholmensis. Hæc egit in eum rex Birgerus consilio fratrum suorum Ducum, nesciens in quem finem tenderent consulentes. Qui eodem anno ipsum Regem captivarunt Consiliariis de-

destitutum. Fiunt enim amici Herodes & Pilatus; & crucifigetur Christus.

Eodem anno captivati sunt à Domino Erico, Dominus Benedictus Legifer Vestrogothorum, & Dominus Gunno Grljs. Anno Domini MCCCVI. circa festum Nativitatis gloriosissimæ virginis, Duces celebrant nuptias quibusdam servis suis in Bielbo, in multa pompa & solennitate ac gloria seculari. Miserunt autem his diebus omnem pene multitudinem servorum suorum ad curiam suam Hundhamar, quæ erat circa Kolmaren, aut ad alia quædam loca Vplandiarum; diligenter instructorum de agendis. Erat enim Ducū hæc industria in malum, ut venirent ad Regem in potentia, sed occulte, quem captivare volebant. Fama igitur de nuptiarum solenniis, illic eos esse narrabat, sed jam eorum exercitus in Vplandia expectabat. Finitis ergo nuptiis antedictis, continuo Duces cum paucis post servos præmissos, sine famæ præconio ascendentes, ad curiam suam Hundhamar equites pervenerunt. Vbi relictis equis, & servis assumptis, furtivo discursu venientes ad Meler, ubi major poterat navium copia reperiri; quas intrantes, & armis ac viris implentes, veloci remigio pervenerunt ad Hatuna. Vbi tunc didicerant Regem cum Regina & liberis in regali curia residere, die Archangeli Michaëlis, horâ quâ Rex meridie pausabat in mensa. Qui benigne ac fraterno favore suscepti à Rege, traditis sibi certis domibus ad manendum. Vestes & quæ in navibus attulerant, induxerunt in illas. In quibus familiares Ducum occulte se ad prœlium munientes, & arma necessaria induentes, parati ad prædam, Dominorum suorum super agendis imperium expectabant. Die igitur ipso B. Michaëlis ad occasum sole vergente, Regem captivandum invadunt, cum ipso Reginam & liberos, duos filios ac filiam; Dominum etiam Nicolaum Episcopum Arosiensem, & sex Milites, & sedecim Armigeros captivantes. Vnus autem servorum Regalium, Arvidus nomine de Smalandia oriundus, in ipso captivitatis tumultu rapuit primogenitum Regis Magnum, & usque in Daciam portavit in humeris suis, veniensque cum eo ad regis Danorum Erici, fratris matris illius præsentiam, cum in gremium Regis injecit in multo profluvio lacrymarum.

LIBER QVARTVS HISTORIÆ SVECORVM GOTHORVMQVE.

Rex igitur captivatus, juxta quorundam consilia, assignavit Duci Erico regnum cum omnibus castris, civitatib. & munitionibus, & debito fidelitatis. Licet præfecti castrorum nihilominus aliquanto tempore secundum fidelitatis debitum, ad manus Regis castra tenerent. Quæ tamen Duces mox omnia obsidentes, infra annum cum totius regni obedientia obtinebant. De loco proinde captivitatis cum rege properantes, Holmense oppidum quidem acceperant primo accessu. Sed qui castrum tenebant, responderunt se non daturos, quamdiu scirent regem vitam agere in humanis. Ponentes igitur Duces obsidionem ante castrum Holmense, & Matthiam Ketelmundson, virum industrium, obsidentibus præficientes, duxerunt captivum suum in Nicopiam, arctæ custodiæ mancipantes, sed vitæ necessaria & solatia in abundantia ministrantes. Interim Rex Danorum ingentem paravit exercitum, iturum in Sueciam ad liberandum à captivitate regem Birgerum, & ad compescendam Ducum insolentiam attentatam. Quo comperto, Duces ipsi collecto quam velociter exercitu, ad regnorum confinia properabant. Sed intellecto quã Daci vitâ niterentur intrare, ad locum illum, ut eis occurrerent, festinabant, venitque prior Sueorum exercitus ad fluvium Bogasund; ubi postquam octo diebus expectasset, supervenit Danorum armata phalanx, & terribilis acies ordinata. Ad cujus conspectum Sueorum audacia nihil mota; congressum expectabat impavida. Agentibus autem viris industriosis & sagacibus, unius anni inter eos induciæ sunt firmatæ. Sequenti vero æstate Dux Finlandiæ VValdemarus, transiit ultra mare peregrinationis gratia. Dux autem Ericus, transiit in Norvegiam circa festum Olai, spem habens quod regis Haquini filia sibi matrimonio traderetur, cum qua contraxerat matrimonium de futuro. Paraverat autem in Kungella nuptiarum expensas sumptuosas, tanquam

quam certus & indubius matrimonii consummandi. Regem proinde Norvegiæ accessurus, invenit eum in Krakö, cui cum de filia ducenda faceret mentionem, Rex repetiit castrum VVardberg, quod ei, fide mediâ, commisisset, adjungens nisi castrum restitueret, filiam suam òbtinere non posse. Cui Dux in hæc verba respondit: Gudh gifwe henne lycka chwar hon går: Wardberg får tu ey åter i åhr. *Deus ipsi prospera quæque concedat, ubicunque versatur. VVardbergam non recuperabis hoc anno.* Instabat etiam comes Iacobus ut castrum suum recuperaret, sed uterque laborabat invanum. Conversus inde transiit ad Kungella, & cum servis suis ac amicis paratas expensas pro nuptiis, in multa lætitia consumebat. Dux autem VValdemarus tempore peregrinationis suæ in partibus alienis, in his devotionibus suis mercede conduxit stipendiarios DCCC; cum equis & omni armorum bellico apparatu; Quos præcedens in patriam, paravit necessaria tantæ multitudini adventantium bellatorum. Tunc Dux Ericus destructo in parte castro Holmensi, elegit de Vplandia D. electissimos bellatores. Et quia festum Natalis Domini tunc instabat, quo treugæ inter regna firmatæ non erant amplius duraturæ: appropinquante v. fine treugarum, Duces cum suis Militibus, stipendariis & Armigeris congregatis, Danorum finibus appropinquant; quod cum audisset rex Danorum Ericus, paulatim præire disposuit exercitum suum, ut occurreret Ducibus Scaniam defensurus. Iamque pars exercitus ejus passagium Oeresund transierat, quam in manu fratris sui dederat, erantque victualia in abundantia comportata, ut Rege veniente cum exercitu principali, commode posset tanta multitudo pugnantium sustentari, sed alii in labores eorum intraverunt. Prævenerunt enim Principes regni Sueorum, Duces Ericus & VValdemarus, & quæ parata erant Regi Danorum, & exercitui suo pro festo Natalis Domini, & expeditione continuanda, subito superveniens Sueorum exercitus, per duos dies & noctem unam, in oppido Oednabyung, ubi hæc comportata fuerant, conquiescens, larga dispensatione consumpsit. Vbi etiam fratrem Regis Daciæ cum C. armigeris & totidem equis, & rebus multis bellicis captivabant. Inde progressi, lento dis-

discursu omnem pene Scaniam lustrantes, ignis incendio devastabant, pausabantque die & nocte Natalis Domini in villa Graneby, fugientibus incolis ad latebras & condensa sylvarum. Tendentes autem versus Hallandiam, nulla reliquerunt ædificia incombusta, donec intrassent Hallandiam, cui omnino pepercerunt ab igne, quia Dux Ericus habebat castrum VVarberg à rege Norvegiæ Haquino, & cum castro mediam Hallandiam. Alteram vero medietatem habebat Christopherus frater Regis Daciæ, quem Dux Ericus asseruit esse suum amicum. Nihilominus tam Hallandiam quam VVestrogothiam miserabiliter vastaverunt, omnia quæ invadi poterant, consumentes & reliqua spolia auferentes. Erat enim major pars exercitus eorum Alemanni, quos adduxerat Dux Valdemarus, qui ideo venerant ut divites fierent spoliando, nec erat qui eos à spoliis prohiberet. Rex autem Danorum qui populum plurimum congregaverat, destitit eâ vice à pugnando, nec attentavit pro tunc aliquid contra Duces, eo quod in tota Scania & VVesgothia, & in omni loco per quem transiturus fuisset, nulla omnino victualia haberentur. Providerant enim Duces ne quid remaneret intactum, unde Rex posset cum suis vel breviter sustentari. Sicque Duces pacifice, salvo suo exercitu, perviam unam quasi aquilæ volantes, Scaniam intraverunt, & per aliam viam regressi sunt in regionem suam. Dimiserunt igitur Suecos milites & satellites singulos in domos suas; Alemannos autem per civitates regni divisos constituerunt, ut cives eos in personarum victualibus sustentarent; rustici vero circumpositi necessaria eis pro equis deferrent. Discurrebant autem servi, & viliores Alemannorum per villas & oppida rusticorum, rapientes & vendicantes sibi quæcunque voluerunt. Sed accidit unum ex his qui Sudercopiæ degebant, excurrentem ad rusticos, & more solito rapientem ab uno rusticorum, aut pluribus vulnerari: unde commoti Alemanni, qui illic morabantur, armati in multitudine & præparati ad bellum, Alemanni rusticorum multitudinem occiderunt. & hæc faciebant impune. Et reputantur Sancti qui tantis malis guerrarum, homicidiorum, rapinarum, aut cæterorum innumerabilium malorum, nullo jure, sed solâ suâ superbiâ præstiterunt occasionem.

AEstate sequenti, anno scilicet Domini MCCCVIII. rex Danorum Ericus, tantorum damnorum & injuriarum non immemor, immensum exercitum congregatum direxit in Sueciam, quem duxerunt capitanei, Comes Holsatiæ, & Dux Slesvicensis VValdemarus, multis eis Principibus sociatis. Sed non dormiebat ille contra quem venerant pugnaturi. Non dum enim ultra præcesserant, quam ad Liungaby, in quem se receperunt quietis caussa. Et ecce subito, & ex insperato supervenit ex adverso Dux Ericus, non quidem in multitudine, sed animositate & fortitudine pugnatorum, de pari pugnare paratus. Sed extitit utrinque tractatum, ut treugæ unius anni & dimidii firmarentur; & sic interim ageretur, ut rex Birgerus à captivitate solveretur, & ad liberatem & gradum suum restitueretur: Rex Danorum cum suis contentus esset, pacem & concordiam intra regna etiam consequenter durare. Sicque uterque exercitus ad loca sua, & in patriam se recepit, non æstimatis expensis & damnis, quæ VVestrogothi, & alii per quos transierant, sustinebant. Duce igitur cum Consiliariis regni Sueorum dietam celebrantes in Oerebro, cœperunt maturo consilio causam Domini regis Birgeri ventilare, & diutius pertractare, quonam modo esset habendus in futurum, ut & pax fieret inter regna, & quod honoris esset & rationis, ageretur cum eo; Et nihilominus cautela necessaria adhiberetur, ne, si libertati donaretur, regnum aut regnicolas, propter ea quæ contra eum gesta sunt, infestaret, maxime per exercitum aliunde forsitan adducendum. In hoc autem omnium qui aderant, de consensu & beneplacito Ducum, sententia residebat quod si Dominus Rex eos vellet certificare, medio suo juramento & litteris, ac aliis quæ fidem possunt efficere, contenti essent eum à captivitate dimittere, & partem regni non minimam assignare: Et hæc in Quadragesima ac in Oerebro sunt conclusa. Post pauca vero super eodem negocio, Nycopiæ constituti, accesserunt ad Regem in castro, audituri utrum vellet eorum subire sententiam, & quæ de eo concluserunt, approbare. Ille vero sicut improvidus indeliberate respondit; Conditiones omnes quascunque sibi præfigerent, indubitanter subire. Sicut igitur formam jurandi illi obtulerunt, ita ille præstitit juramenta. Et sicut litteras

per eum sigillandas conceperunt, ita ille sigillare consensit, non veritus per corpus Christi & sanguinem terribilissime jurare. Quia enim mox solutus aufugerit, in Daciam se recipiens, clarum est quod eo tempore quo juravit, non erat suæ intentionis ea servare, quæ perperam sic juravit. Fugit enim eadem æstate in Gothlandiam cum uxore ac liberis, & inde transivit in Daciam, qui benigne susceptus à Rege suæ miseriæ condolente, & auxilium promittente, mansit aliquanto tempore apud eum. Eodem anno mortuus Isarus Episcopus Stregnensis,& confirmatus est Storbernus. Eodem anno mortuus Dominus Magnus Abogensis; Et eodem anno confirmatus est Dominus Nicolaus Archiepiscopus Vbsalensis.

Hoc tempore volens rex Norvegiæ recuperare castrum Kungella à Duce Erico, mandavit per litteras ut ad eum veniret, in loco tunc designato circa Kungella. Fuit autem intentio Regis, ut Dux cum prope esset ascenderet in castrum, quo facto voluit eum protinus obsidere. Ducis autem spes & opinio erat, ut ei filiam suam, sicut promiserat, daret uxorem; ideò ad eum quanto citius festinavit. Avisatus autem à quodam de intentione Regis, mox ab eo divertit, & permissum nuncium intellecto quod castrum esset peroptime munitum in victualibus, & viris ac armis, (erat enim capitaneus castri nomine Ducis quidam Miles Dominus Ficko, vir bellicosus & strenuus) in patriam est reversus. Rex autem castro Kungella per quinque septimanas obsesso, cum nihil proficeret, inde divertit. Sed interim ædificavit castrum Bogahus, consilio Comitis Iacobi, cui & ipsum tradidit conservandum. Commotus autem inde Dux Ericus assumpsit expeditos satellites suos tempore hyemali, & præcipitanter venit Asloiam, vastata intermedia regione. Erat enim hyems & aquæ constrictæ glacie, ut nihil prodesset Normannis quod omnes pontes per quos esset transiturus, ejecissent. Assumpta ergo ad sui servitium Asloensi civitate, mox castrum Akershus aggressus, stricta munitione obsedit; Gentem vero rusticam circumpositam nimio gravamine oneravit, cunctis necessariis pro tanto exercitu à vicinioribus usurpatis. Tunc Norici congregarunt exercitum IIIM. & amplius omniquaque, ut regnum suum defenderent à Ducis insultu. Quo cognito Dux Ericus & sui, equos velociter ascen-

ascendentes irruerunt in eos velut lupi in oves, & magnam ex eis stragem facientes, nobiliores ex illis duxere captivos. Ex tunc in brevi Dux cæpit graviter ægrotare, propter quod velociter in patriam se recepit. Norici vero damna sua vindicare volentes, collecto exercitu intraverunt in Daal, & aliquas parochias incendio vastaverunt. Sequenti æstate Rex Norvegiæ parata classe fortissima, contra regem Daciæ pugnaturus, non longe à finibus Suecorum versus Daciam processit. Sed Dux Ericus ob damna illata, multas navium ejus abstulit violenter. Deinde etiam cum exercitu intravit Norvegiam, sed fugientibus Noricis est reversus.

Anno Domini MCCCX. Rex Daciæ fecit extremam diligentiam, & ultimum posse suum pro rege Birgero, ad debellandum fratres ejus Duces regnantes in Suecia: Collegit ergo de toto regno suo omne robur exercitus, quod inde poterat expediri, & de Slavia atque Alemannia Duces, Comites & Barones, cum Militibus & stipendiariis, multitudinis admirandæ, ut una die darent stipendium M. marcarum argenti puri; Dicuntur autem fuisse in ejus exercitu LXM. pugnatorum, inter quos fuerunt Milites C. Cum hoc exercitu reges Birgerus & Ericus versus Sueciam iter arripiunt, CCC. equites superventuros sperantes. Audito igitur eorum adventu, Duces cum suis fidelibus ad extrema regni Suecorum, & Danorum confinia properanter accedunt. Cognito autem quod in tanta potentia advenirent, ut esset eis periculum & fatum, cum paucis suis adversus tantam multitudinem ad pugnam procedere, omnia victualia jumentorum & hominum in tota via, qua illi venturi essent, funditus consumpserunt, & lento gressu ab extremis regni finibus ad interiora tendentes, ac Dacorum exercitum præcedentes, terras illas adeo vacuas reddiderunt, ut superveniens Dacorum exercitus, non inveniret vel in modico quo posset refici ac nutriri. Si qui vero divertebant à via ab exercitu separati, ut saltem à longe acciperent alimenta, ubique locorum sic sunt excepti, ut de XX. exeuntibus vix III. aut IV. redirent. Et ubicunque Reges cum exercitu tam immenso de die venerunt, Duces ibi nocte transacta, nihil sequacibus reliquerunt. Cum autem Reges partem exercitus sui præire fecissent, ut salvum eis facerent per sylvam

Holved iter eundi, sylvâ pertransitâ Dux disponebat eis occurrere, & bello excipere. Sed in aggressu Dominus Matthias vexillifer Ducis, equo offenso in lapide, corruit & hastam vexilli confregit, quo territi Ducales congredi metuebant. Inito igitur consilio Duces se ab invicem dividebant. Nam Dux VValdemarus ascendit Holmiam; Dux autem Ericus Calmariam accessit. Volebant enim (ut puto) insigniora loca regni salva & libera conservare. Reges igitur cum exercitu suo continuo procedentes, Nycopiam usque pervenerunt, castrumque Nycopense strictâ obsidione ligarunt. Sed erant in castro viri fortissimi, validissimi fidelissimique, qui crebris ictibus bombardarum, lapidum & balistarum obsidentes lædebant, vulnerabant & occidebant, castrumque sibi commissum fidelissime conservabant. Cum autem Dux Ericus Calmariam pervenisset, venerunt continuo duæ naves magnæ ab Alemannia stipendiariis bellicosis onustæ, ipsius servitio se exhibentes. Quibus assumptis cum civibus Calmarnensibus, cæterisque sibi fidelibus Ienecopiam properavit, ubi Reges novum castrum erexerant, & multis victualibus congestis impletum, duos Milites famosos & nobiles, cum multis satellitib. reliquerant ejusdem castri custodes. In quod facto impetu & igne injecto, occisis duobus Militibus, & quibusdam aliis, funditus Dux evertit. Deinde transiens in VVestgothiam convocatis VVestgothis, & animatis, electisque ex eis quos sibi putabat idoneos ad pugnandum, circa Axevald motam traxit, animo habens alteri saltem aut utrique Regum occurrere, partes illas intrare volentium, quod forsan audierat, aut ipsis fugientibus à regno, quod etiam sperabat, & pauciores secum nunc ducentibus, incursaret. Ferunt quidam potiores Dacorum, qui cum Rege castrum Nycopense obsederant, muneribus corruptos Regi suo suasisse, quod obsidione solutâ in patriam suam rediret pacifice. Et cum Rex eis non acquiesceret, ipsi nihilominus recesserant. Quo viso, & audito insuper quod castrum novum Ienecopiæ periisset, suis Militibus interfectis, & quod Dux multum populum congregasset, junctis sibi multis Alemannis. Cum jam à festo Michaëlis, usque ad festum Natalis domini obsidio castri durasset, & omnem circumpositam regionem adeo victualibus vacuasset, ut non

esset

esset modus exercitui de necessariis providendi: Rex Ericus replicatis damnis quæ pertulerat, abinde cum rege Birgero recessit, in Daciam rediturus. Factum est autem ut Regibus versus Daciam redituris, Dux Ericus pacificus eos accederet, agens cum rege Danorum ut partes suas interponeret, ut rex Birgerus servaret quæ servare juraverat, & paci atque quieti se subdens, esset contentus accipere ea quæ secundum justiciam eum tam de Regno, quam de patrimonialibus contingebant, sicque sunt amicabiliter separati.

Eo tempore quo Reges præfati cum tanta potentia regnum Suecorum intrassent, & Duces Suecorum in arcto positi putarentur, rex Norvegiæ Haquinus occasione acceptâ, collecto exercitu iterum obsedit castrum Kungella, quod tunc in commissis habebat à Duce quidam Dominus Tordo Vnge Noricus nomine. Qui minus fideliter agens, & ad bona sua quæ in Norvegia habebat, oculum habens, castrum importune Regis manibus assignavit. Cũ igitur Reges obsidione dimissâ, & pace initâ recessissent, Dux Ericus vocato fratre suo de Holmiâ; cum exercitu inde assumpto, convocatis fidelibus suis, expeditionem dirigit in Norvegiam tempore hyemali. quo omnis aquarum congregatio equestri exercitu possit intrepide pertransiri. Congregarunt & Norici agmina sua, contra quos directus quidam Dominus Bero ex parte Suecorum, de Noricis triumphavit. Tunc castro faciliter recuperato, tradidit illud cuidam Alemanno Militi, & in continenti mandavit Regi per nuncios & litteras, interrogans utrum esset contentus, & permittere vellet eum quietum in possessione sic adepti castri, & taliter reassumpti? Tunc Rex & Dux convenientes in unum, tractaverunt inter se & de hoc, & de aliis, ut pax inter eos exinde perpetuo perduraret. Dux igitur Ericus considerato quod Deus pacem ei ex omni parte dedisset, cogitavit removere à se stipendiariorum extraneorum multitudinem effrænatam. Fecit ergo Ludosiæ curiam solennem more suo, omni humanæ laudis præconio prædicandam, in qua donaria more regio spargens, & stipendia suis commilitonibus largissime diffundens; Quosdam vero ex eis Milites creans, omnes cum multa gloria remisit ad propria. Deinde Birgerus rex concordiam inivit cum fratribus suis per regni divisionem, ut liquet ex sequentibus litteris.

Eri-

Ericus & Valdemarus Duces Sueorum, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Noverint universi quod anno Domini MCCCX.XIII.Cal. Augusti apud Helsingborg, inter magnificum Principem Dominum Birgerum regem Sueciæ fratrem nostrum, & nos, super discordiis actis, motis & habitis, taliter placitatum extitit: Inprimis quod ipse habere debeat cum omni jure & dominio sine diminutione qualibet, terras infra scriptas, scilicet Helsingiam, Fiedrundiam, tres provincias in Vestmannia quas prius habuit, totam diœcesin Stregnensem & castrum Nycopense, terram Ostgothiæ & castrum in Stekeborg, terram Vidbo, insulam Visinggö, Brennevist & Tuetha, terram Rydingiæ, terram Finlandiæ, terram Verendiæ, & terram Gothlandiæ cum Visby, & castrum in VViborg, ita quod nobis expensas plenarie refundat, si quas pro usibus ipsius castri nos fecisse constare poterit: Item omnia sua bona patrimonialia & acquisita, nec non & partem in monte cupri, quæ ipsum hereditario jure contingit, his quæ sequuntur exceptis curiis, videlicet Suninxoe, insulam Moerkoen, insulis concessis Henrico Burgravio de Stroemberg, curiis Harff & Sponga, & molendinis quæ à nobis idem titulo permutationis habuit, in quarum recompensationem restituit ipse curiam Ekieby: Item bonis Dominæ Hadve, & suis hæredibus dimissis per nostras patentes litteras, & bonis pertinentibus ad Dominum Torchillum quondam Marscalchum; Curiis Foldenes, &c. colonis in duabus curiis in Suennom; Item medietatem redituum provenientium de villa Visby & terra Gothlandiæ ad tempus placitationis; Aliis vero terris, castris & reditibus regni Sueciæ nostris usibus remanentibus, ita quod ratione terrarum castrorum & redituum, eidem fratri nostro homagio nos pari, manu & conamine & in solidum nos astringimus. Et si alterum nostrum mori contingat, tunc terræ, castra & reditus prædicti ad superstitem integraliter revolvantur. Item placitatum est, quod idem frater noster in terris suo dominio dimissis, nulla castra de novo construat, nec nos in terris nostris versa vice. Quanquam omnes regni Sueciæ incolæ in cujuscunque dominio fuerint, gaudebunt suis libertatibus & juribus, quibus gaudebant ab antiquo, eo salvo quod ex caussa rationali subsidium peti posset, & suscipi de subditorum beneplacito & assensu. Præterea in terris nostris Dominus Rex frater noster nihil præcipere, vel mandare sive judicare debet, nisi de suis hominibus, & his quæ superius nominatim sunt expressa. Nec debet castrum sive munitiones, vel terras aliquibus in perpetuum, vel ad tempus vendere, impignorare, extra manum suam ponere,

nere, vel alienare quoquo modo; quæ omnia ipsi fratri nostro facere & servare volumus. Item omnes Milites et Armigeri utriusq; nostrũ, libertates et jura habeant, quibus usi fuerant ab antiquo: Item omnia remissa; Itẽ omnes diligendi; Captivi omnes dimissi libere. Est etiã placitatum quod Magnifici Principes et Domini, Ericus Daciæ, et Birgerus Sueciæ Reges, Christopherus Dux, Gerardus Comes Holsatiæ, Hẽricus Magnipolẽsis, et nos mutuo juvabimus contra quemcunq; hominem nunc veniẽtem, consiliis et auxiliis oportunis; Castrũ vero Nycopiæ inchoatũ debet pẽitus demoliri. Datũ et actũ die et loco præmissis.

Circa festum Michaëlis anni illius reversus est rex Birgerus, cõtẽtus de tertia parte regni, & aliis quę in Cõtractu contenta sunt. Dux autem Ericus accepit in partem suã Vestgothiam, Daal, Vermeland, Halland, Calmariã & Smalandiã; Dux vero Valdemarus Stocholm, & partem Vplandiæ, Finlandiam & Oelandiam. Anno Domini MCCCXI. Dux Ericus egressus à patria, visitavit limina sanctorũ, quo tempore erat etiã in Curia Dn. Clementis Papę I V. quę tũ viguit V Viennæ; Et rediens per Alemanniam, in multis insignioribus civitatibus fecit sũptuosas expẽsas, & gessit opera magnifica, mirifica & famosa. Quo reverso in patriam, contracta sunt matrimonia inter ipsũ Ducem Valdemarum, & filiam regis Norvegiæ Erici tunc defuncti, quorum nuptias celebravit Asloijæ rex Haquinus magnifice in festo Michaëlis.

Sequenti æstate Duces fecerunt Ludosiæ salam pulchritudinis, & magnitudinis admirandæ, cum cellariis & cæteris principalibus habitaculis, pro gloriosa Curia tenenda, quæ inchoata sunt circa Pentecostem, & circa festũ Beatissimæ Nativitatis Mariæ consummata. Adductæ sunt Ducissæ de Asloia ad Ludosiã classe maritimâ & decentissimâ, ac maximâ comitiva celebrataq; ibidem solennitate mirificâ, singulisq; ad sua loca divertentibus, Duces quoq; sunt ab invicẽ separati. Nam Dux Valdemarus ad Calmariam divertebat, sed Dux Ericus mansit in Agnatorp usq; ad festum Natalis Domini inclusivè. Iste Dux Ericus repudiatâ sorore Regis Dacię quam desponsaverat, accepit eam de qua superius est narratũ: Gesta sunt hęc anno Domini MCCCXII. vel circiter. Duces vero isti regimen Sueorum sibi per violentiam vendicantes, multipliciter & miserabiliter regnum afflixerunt. Nam præter hospitalitates, ne dicam hostilitates; quibus continuè & sine intermissione

huc

huc & illuc per regnum cum suis exercitibus divagando & transcurrendo, omnia ad victum pauperum pertinentia consumebant, & hostibus, cum quibus sæpissime confligebant, deprædandum exponebant, tallias gravissimas imponebant, ita ut quilibet rusticorum quandoque ter in anno stipendum seu subsidium unius marcæ cogebatur solvere. Erant quidem, & dicebantur pij atque magnifici, sed cum miseria maxima miserorum. Anno Domini MCCCXIV. Birgerus rex cum exercitu ivit in Gotlandiam, ut Guttenses majori tributo subjiceret, sed inde fugatus multos de suis perdidit; servatâ nihilominus sibi obedientiâ & subjectione debitâ. Hoc anno modius siligenis emebatur in Suecia XX. solidis Holmensibus. Anno quoque Domini MCCCXIV. novum homagium fecerunt regi Birgero Sueci, ut sequitur.

Omnibus præsentes litteras inspecturis, Canutus Ioenson Dapifer, Haquinus Slemmo Marscalchus, Tererus Ketilson, Tyko Ieonson, Petrus Liquidson, Haquinus Haralson, Iohannes Brunko, Stephanus Doring, Carolus Oestenson Milites, Torstanus Guduastason Armigeri, Consiliarii magnifici principis Domini Birgeri regis Sueciæ, salutem in Domino sempiternam. Cupientes eximiis & immensis beneficiis & gratiis per illustrissimum principem Dominum nostrum Dominum Birgerum, Dei gratia regem Sueorum memoratum nobis liberaliter impensis, debita nostri servitii vicissitudine respondere, constare volumus evidenter per præsentes, quod in præsentia ejusdem Domini Regis Sudercopiæ constituti, sponsione in perpetuum valitura & irrevocabili unanimiter promisimus, & nos singulos, datis manibus, firmiter obligavimus ad obsequium fidele præfato Domino nostro, suæ dilectæ Consorti & charæ proli jugiter impendendum; ab ipsius Consortis & dilectæ prolis servitio, in necessitatibus & casibus quibuslibet emergentibus, nullatenus discessuros. Si insuper eundem Dominum Regem humanis rebus excedere, & nos superstites fore contigerit, præfatæ suæ Consorti & proli, tanquam ipsi obsequi volentes, ut tenemur, fidelem assistentiam præbebimus. Et castra & terræ hæreditaro jure eisdem debita, sibi cedant, & pro dictorum castrorum & terrarum defensione, secundum & nostrarum virium possibilitatem, & nos ipsos exponere, si oportet semper prompti esse volumus & parati. In cujus promissionis & obligationis firmitatem sigilla nostra præsentibus sunt appensa. Actum Sudercopiæ anno quo suprà, ipso die B. B. Martyrum Dionysii & Sociorum ejus.

Eo-

Eodem anno obiit Dominus Nicolaus Archiepiscopus Vpsalensis, & anno sequenti electus est in Archiepiscopum Dominus Olaus Sapiens Canonicus Vbsalensis. Hoc anno Visby combusta est, tunc & fames nimia Sueciam oppressit. Eodem anno Duces Ericus & Valdemarus dimiserunt familiam suam & portiones de regno; & habitabant separati, & tunc Dux Valdemarus exivit patriâ caussa visitandi limina Sanctorum. Hoc anno apud Ringstaholm pluit sanguis, & multiplicata sunt plus solito fulgura & coruscationes. Anno Domini MCCCXVI. Dux Valdemarus transtulit domicilium suum in Oelandiam in castrum Borcholm. Eodem anno Smalandenses elegerunt sibi regem qui dictus est Buggo, quem rex Birgerus disponebat occidi. Anno Domini MCCCXVI. obijt Brynolphus Episcopus Scarensis. Hunc tribulavit rex Magnus Ladulas, qui subjecit se sententiæ Domini Magni Archiepiscopi Vbsalensis; Hic Brynolphus fuit filius Algoti Legiferi Vestrogothrum, quem & filios ejus fugauit rex Magnus, vel timore ejus fugerunt.

Anno Domini MCCCXVII. dum regnum Sueorum in omni pace, tranquillitate & concordia haberetur, & post multas angustias & afflictiones bellorum, oppressionum, talliarum & gravaminum quietius respiraret, ecce repentina calamitas superveniens, miseram patriam illam super omnem angustiam, quam usque ad hæc tempora sustinuerat, afflictione gravissima conturbavit. Rex enim Birgerus diu conceptum in corde rancorem, sed caute dissimulatum in opere, inhumanissima cæde fratrum suorum, ad sceleratissimum perduxit effectum. Vnde nimirum tota pene natio Sueorum commota, tantum nefas non dimisit inultum; licet cum suimetipsius intolerabili detrimento. Inferendæ igitur neci talis Regi præfato præbebatur occasio: Nam cum Dux Valdemarus reversus à partibus transmaritimis, suum domicilium in Oelandiam transtulisset, tempore quodam inde ad Holmiam iter peracturus, cum non longe à Nycopia transitum faceret versus Holmiam, incidit ei cogitatio ut fratrem suum Regem Nycopiæ commorantem accederet, eidem quippiam loquuturus. Cujus dum Rex & Regina præsensissent adventum, egressi ei obviam, tantis cum blandimentis, obsequiis, honoribus ac reverentiis exceperunt, tantis applausibus, deliciis, amplexibus

plexibus & osculis exceptum foverunt, ut nihilominus qua vera traditio & tendens ad laqueum decipula pararetur. Nec eâ vice fuit aliud attentatum, nisi ut amorem Regis & Reginæ erga se Dux Valdemarus, ut putabatur, expertus, statuto tempore quo Rex decreverat, venire gauderet, & fratri suo Duci Erico etiam esset occasio veniendi. Non enim nisi simul junctis erat captivitas inferenda. Sabbathum igitur post festum S. Nicolai diem constituit, quo fratres suos Duces ad se venturos disposuit, Valdemarum præsentem invitans vivæ vocis oraculo, Ericum vero litteris dulcissimis, sed omni dolo & fraude plenissimis. Talibus ergo obsequiis & blandimentis debacchatus à Rege & Regina pariter Dux Valdemarus, Holmiam iter suũ cõtinuat, de Holmia consequenter transivit ad Daffo: Dux igitur per literas taliter invitatus cũ cognovisset fratrem suum Valdemarum apud Regem fuisse superioribus his diebus personaliter constitutũ & jam se ad Daffoe curiam transtulisse, illic cum accessit auditurus ab eo tanquam conscio Regię intentionis, si fortè securus eis esse posset accessus ad Regem, factaq; est inter eos disputatio longa, Duce Erico dissuadente accessum; Valdemaro autem è contrario inducente, qui & prævaluit in sua sententia, & hac conclusione factâ, versus Nycopiam festinarunt. Cum autem jam prope essent ad distantiam unius milliaris, ubi fuerunt ipsis necessaria præparata pro unius noctis habenda quiete, invenerunt omnia inde sublata, & Nycopiam inde portata, ut non alibi quam in castro reciperentur hospitio. Accessit autem Miles quidam Ducem Valdemarum dicens, quod si ambo Duces Regem pariter adirent, ipsis & omnibus amicis eorum cederet in singultum; Dux vero moleste ferens indignanter respondit, quosdam prius damnandos suspendio, multosque satis esse qui inter ipsos & Regem discordiam seminare contenderent. Tunc ille continuo discessit, pœnitentiâ ductus, quod talia prodidisset. Nec mora, supervenerunt viri mendaces à Rege directi, qui sermone blando nequiter persuaserunt, ut cum brevis via restaret, non nisi apud Regem eâ nocte pausarent, eo quod Rex totus anhelus & gratulabundus eorum desideraret adventum; nec posset quetus persistere donec esset eorum præsentiâ hilaratus. Hoc & verum erat. Timebat enim quod si mora fieret, & propius pausasset

dintius

diutius, fuissent ejus de eorum traditione detecta consilia, & recepissent de imminenti eis periculo cautionem. Verbis igitur mendacibus nimium creduli, continuo gressu intrabant oppidum Nycopense, & deinde in castrum, confidentes in mendaciis, ascenderunt. Quibus occurrens Rex cum hilari vultu, blandoque sermone, sed doloso corde suscepit, assumens eos fecit collateraliter secum ascendere.

Iam vero quanta hilaritas in loquendo, quanta benignitas in serviendo, quanta humilitas in ministrando, quanta largitas in propinando fiebat, levi non potest & facili explicari sermone. Post multam vero abundantiam ferculorum, & mensarum nimium apparatum, post dulcia & multiplicia colloquia tam dilectissimorum fratrum & amicorum, sed non æquo amore sibi correspondentium, hora dormiendi successit, qua Principes invitati in decretam sibi cameram cum comitiva honesta, sed subdola perducuntur: Post quorum collocationem in lecto, omnes eorum Milites & universa familia, rogante Regina, egredi jubentur à castro, non quidem quasi violenta exclusione, sed familiari & dulcissimæ Reginæ inductione, petentis quatenus ad hospitia civitatis (quasi ad majoris quietis & solatij commoditates egrederentur) ituri. Quod ut certius fieret, Dapifer Regis Iohannes Bruncho exactissime disquisivit, stans ipse in porta & diligenter omnes inspiciens, & inquisitione sollicita prospiciens, ne unus quidem Ducalium servorum remaneret in castro. Nec confidens plene janitoribus de clausura arreptis clavibus suis manibus seras portarum firmavit. Quibus peractis, Regales ministri loricati ac aliis munimentis induti, assumptis balistis, gladiis, venabulis, & armis cæteris invasivis, Regis aspectui se præsentant, stantes coram eo tanquam leones parati ad prædam, cum illi nobiles Duces duo tantum inermes & nudi, nescientes quod de eorum ageretur interitu, nocte jam media dormitarent. Sed Rex ille pusillanimis & vecors, adhuc sibi suisque diffidens, jussit vocare Militem quendam dictum Canutum, virum multæ discretionis & ratione vigentem. Quem vocatum & præsentem interrogavit, si ei velit assistere, & ferre in captivando fratres suos auxilium? Tunc ille attonitus de

re deteſtabili;& intentione maligna,reſpondit: Domine Rex, ſi quid ingruit perſonæ veſtræ, ego quamdiu ſubſiſtere valeo pro ea tuenda & conſervanda pugnabo ; ad captivandum autem fratres veſtros,ſicut nunquã conſilium dedi, nec dabo, ſic nec opem præſtabo,aliisque verbis quam plurimis Regi perſuadere conatus eſt,quantum dedecus eſſet, ſi in eos aliquam violentiam faceret, qui eo invitati, in tanta ad eum confidentia declinaſſent. Quibus verbis ille commotus, eum à conſpectu ſuo furibundus abjecit, ſed nec ille minus commotus abceſſit. Tunc iniqui Regis ſatellites juſſa impleturi, acceptis laternis, facibus & armis accincti letiferis, ad cameram in qua Duces dormiebant rabie furioſâ decurrunt, dormientesque & nudos fractis januis, & incurſione terrificâ ſuſcitarunt. Tunc Dux Valdemarus exſiliens è lecto, tunicâ ſuperjectâ, contra ſe venientem arripuit, & in terram proſtravit, ſed multitudine in eum irruente, fratrem ſibi ſuffragari depoſcit. At Dux Ericus tantâ multitudine cum armis inſpectâ,non eſſe locum defenſioni conſiderans, fratrem monet à pugna deſiſtere,nec juvamen impoſſibile attentare. Cum igitur armatorum multitudine circumdati, nudi ut erant, ſe dedidiſſent, Rex inſaniens furore ſupervenit, & totus furiâ debacchatus in fratres ſuos, interrogat *utrum in memoria habeant ludum Hatunenſem?* jungens, *non multo meliorem ludum nunc eſſe ludendum*. Ligatis igitur manibus, & nudis pedibus, ac toto pene corpore veſtibus ſpoliato, fecit eos Rex de camera dormitionis & captivationis educi & ad profundiorem locum, & carcerem teterrimum totius caſtri vinculandos induci.

Duris igitur nexibus conſtricti, catenis latis & ponderoſis collis eorum circundatis, & in muro indiſſolubiliter infixis, pedibus nervo graviſſimo implicatis, manus vero trunco configuntur, & inhumaniſſimis & pene inauditis ſuppliciis tormentantur. Non enim ſuffecit Regi quod fratres uterinos, quos jam decreverat famis cruciatu extinguere, pedibus & manibus & collis ferro ligante ſtrinxiſſe, quin & crebris ictibus, clavâ deſuper agitatâ, lignum pedibus circumdatum faceret frequenter collidi. Cujus crebra & gravi tunſione, particula grandis exiliens in faciem Ducis Erici, grave ſibi vulnus inflixit, ut multo ſanguine in

gre-

gremium fluente, flebile spectaculum præbuisset, si quæ miserationis viscera affuissent. His itaque nocte patratis, cum jam surgentis auroræ prima, sed modica indicia patuissent, Dapifer Regis Bruncho prædictus, assumptis universis Regalibus ministris, apertis castri janius, oppidum Nycopense armatus ingreditur,& divisis sociis;super dormientes Ducum satellites,Milites & clientes irruit improvise;Quos dormientes & nudos de facili captivatos,quasi oves ad victimam, turribus injecit & vinculis, inter quos Miles quidam Atvidus dictus occubuit. Tunc Rex resolutus in risum, & præ gaudio saliens & manibus plaudens, non Deo, sed Dapifero suo gratias agens, gratulabatur se regnum habere in manibus, & plenâ potestate gaudere. Custodia igitur fratrum suorum Reginæ & Dapifero, ac cuidam Militi impiissimo delegatâ, Rex egressurus in regnum, & universam regni Monarchiam suo dominio subjecturus,Stocholmiam & Calmarniam,loca videlicet insigniora, primum adire disposuit. Missis ergo nunciis jubet Regio incessui magnas & sumptuosas expensas ubique parari,ut sciant universi regem Birgerum Monarchiæ dominari.Sed nimium velociter currit sermo ejus; Quibus enim perpetrati sceleris opus non loquitur, aut fama divulgat, tantæ elationis suspicio publicavit. Nam cum multâ festinatione properaret Holmiam, velocior eo tamen fama præcesserat, de traditione Ducum pronuncians veritatem. Dum enim à parte aquilonari applicuisset ad oppidum, ponte sublato cives ad arma concurrunt, & post brevem horam apertis valvis, in campum armati prosiliunt, Regem cum suis animose fugantes. Qui inde sine honore regressus Nycopiam, unde venerat repedavit. Continuo igitur fidelissimi Milites, qui post Duces remanserunt, in eorum Contractis mutuâ intelligentia unanimique consilio fœderati, Dominorum suorum tam nequiter traditorum sanguinem ulcisci conjurant Singuli igitur de suis contractis populo convocato, & ad insurgendum in ultionem tanti sceleris concitato, ut in unum conveniant, mutuo sibi festinanter occurrunt, educti, per Dominum Matthiam Vplandensibus, per Dominum Carolum de Calmarnia Smalandensibus, & per Dominum Birgerum Vestgothis, sicque versus Nycopiam, multi exercitus in unum

tendentes, dirigunt gressus suos. Quo cognito Rex de fuga cogitans, turrim qua Duces tenebantur inclusi, dura clausura firmavit, clavesque projecit in fluvium, & inde ad Stekeborg fugiendo divertit. Ducales vero castrum Nycopense stricta obsidione ligarunt. Ferunt autem Ducem Ericum tribus tantum diebus absque potu & cibo vixisse; Ducem verò Valdemarum XI. diebus, caussam hujus rei talem assignantes, quia multiplici pœnarum genere, Rex & Ducum custodes Ducem Ericum afflixerunt, manus & ossa & cætera membra crebris ictibus conquassantes.

Tum rex Birgerus directis in Daciam literis, mandavit filio suo Domicello Magno, ut se ad redeundum in patriam disponeret, & regnum Sueciæ suis manibus acquirendum. Regi etiam Danorum supplicavit instanter, ut opem ferret sibi & filio suo in tanto necessitatis articulo. Rex vero Danorum qui jam multa pro rege Birgero, intuitu Sororum, expenderat, Domicello Magno nepoti suo DC equites armatos,& ad bella doctissimos assignavit. Quibus assumptis, Domicellus ipse recto diametro in Ostgothiam, ut patri occurreret, properavit. Rex autem Birgerus filij sui adventu audito, obviam ei processit, & exactiones gravissimas incolis imponens, terram illam undique pervagatur, nihil aliud orando rogabat, quam ut viros Ducum sibi concederetur aspicere. Exaudivit autem eum Dominus, sed sicut meruit, ad interitum. Visis enim Ducum satellitibus, nec primum quidem impetum sustinere præsumens, cum adhuc longe essent, fugit cum filio, & cum omni quem ducebat exercitu, ultra sylvam Holveden, unde festinat in Vestgothiam manu hostili intrans. Quo cognito rustici convenerunt in unum, & apud Carleby consederunt, quos aggressus Rex, videns magnam multitudinem congregatam, consueta fraude sua statuit cum eis trium dierum inducias, in quibus plurimi rusticorum pro victualibus ac aliis necessariis ad propria diverterunt. Quos abiisse considerans rex Birgerus, durante treuga trium dierum, manu valida hostiliter eos invasit, multos rusticorum occidens,& Nobiles quosdam captivitati subjiciens. Et cum multa fieret mora in bellando, villam quandam proximam fecit incendi, ut pugnantibus luceret per noctem. Miles autem quidam Boëtius nomine suas partes interponens,

cessari

cessari procuravit à pugna. Conversus inde Rex rediit in Ostgothiam, & putans se jam finaliter triumphasse, constituit satellites & stipendiarios, quos filius suus eduxit à Dacia, per civitates Ostrogothorum; & cum dixisset pax, repentinus e supervenit interitus. Nam strenuus ille & victoriosus Miles Canutus, ex parte Ducalium irruit super eos qui Sudercopiæ, & propinquius à Rege fuerant constituti, & captos abduxit spoliaque divisit. Quod audientes qui Lincopiæ, Skeningiæ & aliis minoribus civitatibus morabantur, cum festinatione per viam, qua poterant, regressi sunt in regionem suam, Regem relinquentes cum filio desolatum. Tunc rex Birgerus relicto in castro Stäkeborg filio suo Domicello Magno, cum Regina transfugit in Visbi, multis etiam nobilibus & potentibus pariter cum filio dimissis in castro. Sed supervenientes continuo adversarii, dura obsidione castrum undique concluserunt. Rex vero quamprimum venit in Gotlandiam, omnes naves quas habere poterat, victualibus & pugnatoribus oneravit, & versus Stäkeborg/ ut hoc conservent, ire præcepit. Sed mox ut inter rupes applicuerunt, præavisati adversarii eorum, à suis latibulis dissilientes, & impetum in eos facientes, in suum dominium redegerunt. Quibus auditis Rex & Regina pavore nimio consternati, doloris angustia dum turbarentur, Dapifer Bruncho eos animans & consolans, respondit se in persona contra Ducum exercitum pugnaturum, asserensque ob adversos casus, qui insiderent, non esse dolendum. Qua pollicitatione Rex admodum exhilaratus, & plurimum confortatus, quasi certus de victoria, jussit omne robur exercitus quod sibi reliquerat, omnemque robustam juventam arma capessere, & in unam quasi novam militiam cum Dapifero conjurare, conquisitis omniquaque navibus bellicosis, tribus scilicet liburnis, & aliis multis, magnis & parvis triremibus, multo ingenio aptantur ad pugnam, & propugnaculis fortissimis muniuntur. Sicque victualia cum armis in multa abundantia importantur, ac demum multo milite onerantur, ac ad littora Svecana tendentes, non longe à Stäkeborg/quo tendebant optata tranquillitate, pervenerunt. Sed quos admisit maris & ventorum tranquillitas, excepit inopinata bellorum tempestas. Continuo n. parati ad Prædam

affuerunt Ducalium militum animosæ cohortes, bellumque gravissimum est commissum, & longa conflictatione milites utrinque lassati, nulla quiete media recreantur: Tandem viri Ducalis exercitus super trabes & fundamentum firmissimum, struem quandam altissimam aridorum lignorum subtili ingenio componentes, navibus Regis incensam applicari fecerunt; Quam tamen illi longo à se tempore multo labore distentam, devitare conati sunt; Sed deficientes viribus, instrumentis & armis, nec valentes diutius reluctari, navibus igne consumptis, adversariis dediti eorum navibus excipiuntur ab aquis: Quorum capitanei scilicet Bruncko, Vlpho, Luderus, & Valramus, mox mittuntur captivi Stocholmiam & turribus includuntur, sed victualia eis copiosissima ministrantur, usque in diem quo rotis superponuntur.

Circa festum Iohannis Baptistæ exinde secutum, facta est congregatio meliorum regni super constituendo Principe ac gubernatore regni, & aliis negotiis arduis regnum concernentibus, in civitate Scarensi; Eo quod illuc confugisset Ducissa uxor Erici Duces cum filio, ad castrum videlicet Scarense. Vnanimi igitur omnium congregatorum assensu, Dominus Matthias Dapifer regni, creatus totius regni gubernator, ac provisor constitutus, obsidione nihilominus durante ante castrum Nycopense, & Stäkeborg. Qui assumptæ sollicitudinis officio satis facturus, regnum circuit in brevi, & ad tranquillum statum, ut opus erat in tanta divisione & turbatione, reduxit. Hoc tempore hi qui nomine Regis defendebant castrum Nycopense, levabant corpora Ducum, & ponentes in feretro, superiecto baldechino, portaabnt ea de castro, ponentesque in plano infra castrum, alloquuti viros in obsidione degentes, suadentesque quatenus ab obsidione desisterent, & Regi regnum, ut juris erat, salvum dimitterent, cum Dominis eorum mortuis, non haberent pro quo jure certarent. At illi se servos filii Erici Ducis asserentes, & pro eo legitime pugnaturos, occisori Dominorum suorum regnum dimittere se negabant. Assumpta autem Ducum funera Stocholimam cum honore debito detulerunt, facientes ea ibidem in parochiali Ecclesia sepeliri. In sequenti igitur festo Beatæ Virginis inedia coacti & nimia fatigatione afflicti qui castrum tenebant, sese suaque dedentes exierunt à castro, ipsum

ipsum manibus obsidentium relinquentes, qui & ipsum funditus destruxerunt. Sed qui castrum Stekaborg tenuerunt propter Domicellum filium Regis diutius & virilius aliis suum fortalitium defenderunt, licet multa penuria, & victualium defectu laborarent. Viso autem quod diutius subsistere non valerent, facientes de possibili quod melius erat, diu super concordia tractantes, aliud efficere non potuerunt, quam quod Domicellus duceretur captivus, & aliis salvis personis & rebus, libere quo vellent, permitterentur abire. Destructis funditus castris Nycopen & Stekeborgen, cæterisque munitionibus & castris quæ regi Birgero servabantur ad manus, & filio ejus Holmiam ducto, & in firma custodia reservato, ut nihil possessionis, obædientiæ & Dominij esset ei in Regno relictum, Regni gubernator Matthias, collecto exercitu Scaniam intravit, pro eo, ut æstimo, quod Daci cum rege Birgero invasissent Vestgothos, & contra fidem promissam & treugas initas multa eorum in Carlaby occidissent. Congregati verò Daci cum Alemannis sibi adjunctis, occurrunt Svecis armati, & bello commisso apud Mölslang / fugerunt Daci, cessitque victoria Svecis. Captivati sunt de Dacis & Alemannis CCC, Milites & militares, cæteris aut fugientibus aut occisis. Deinde Sveci totam Scaniam pervagantes, Regemque Danorum ex ea exturbantes, civitatibus multâ auri & argenti summâ sese redimentibus, omnia quæ mandi poterant consumebant, cætera quo voluerant, deportantes. Regressis autem Svecis à Scania multâ prædâ & possessione onustis, Dominus Matthias Consiliarios regni, Legiferos, cœterosq; prudentes de regno, die statuto circa festum omnium Sanctorum convenire jubet in oppido Stocholmensi, ut sciat quid acturus de Regis filio captivo, & de his qui cum Rege Ducum tormenta tractaverunt. Dictatâ igitur juxta Leges sententiâ, quatuor isti rotati sunt, Iohan. Bruncho Dapifer Regis, Vlpho Svalabeck, Lyder Foss, Valran Schytta. Quibus rumoribus auditis rex Birgerus cum Regina usque ad hæc tempora in Gotlandia commorati, cum spe frustrati, omniq; solatio destituti, in Daciã se cũfestinatione transferunt, regnum Sveorum amplius non visuri. Iamque rex Danorum Ericus, qui eos auxiliis & consiliis manu tenuerat, defunctus erat. Cui successit in regno frater ejus Christopherus, cui non erat cura de sorore sua uxore Birgeri.

Ad ipsius tamē provinciam rex Birgerus cum regina Mereta miserabiles miserabiliter accedentes, sub spe & confidentia gratiæ suæ se advenisse fatentur, de suis miseriis & infortuniis multipliciter conquerentes. Quos ille quidem benignè suscipiens, eorum misertus angustiis, curiam quandam Spikeborg dictam, cum duabus Contractis illis concessit ad vitam. Nihilominus protestatus quod nullis sororis suæ meritis, sed pro honore suo & consangvinitatis affectu concessionem fecisset hujusmodi, eo quod illa semper sibi sinistra & ingrata fuisset. Illic igitur tanquam exules & mendici, reliquum vitæ suæ in multa vecordia transegerunt. Quibus non modicum doloris adauxit filij eorum Domicelli Magni occisio, dum illum intellexerunt decollatum. Tunc enim in lacrymas risus, in luctus gaudia vertunt. Si enim cognovissent in illa die sua, nunquam taliter Duces Sveciæ occidissent, & multo minus in eorum cruciatu tot cachinnos & plausus manuum extulissent. Anno enim Domini MCCCXX. ad diem XI. millia virginum Consilarij regni convocantur Holmiam, & collocutione factâ, communicatisque consiliis, Domicellus Magnus Birgeri filius educitur è castro ad insulam domus S. Spiritis, certificatus quod pro patris sui delicto vitâ foret privandus. Tunc ille animo consternatus, plurimumque compunctus, se excusavit à caussa mortis Ducum. Cujus quidem excusatio & immunitas omnibus erat nota, quantum ad opus perpetratum; Deum enim testatus est sibi displicere mortem patruorum suorum, cum esset eo tempore in Dacia constitutus, ad consilium & mandatum patris sui, id quod egit se, asseruit attentasse: Veniens enim in patriam, ad patris sui præsentiam festinavit, & ejus mandatis obtemperans, sibi per eum commissa implevit. Deinde testamentum condens, & juxta modulum suum animæ suæ prospiciens, oratione factâ, in substrato tapete genua decenter ponens, ictum ferientis expectat. Decapitatum ergo in feretro ponunt, & superjecto baldechino, arreptum quatuor è nobilibus regni, facta processione cum toto clero Stocholmensis oppidi, honorifice deferunt ad locum fratrum Minorum, ejusdem loci in sepulchro avi sui Domini Mangni Ladulås / facientes cum decentia sepeliri in vigilia Apostolorum Simo-

Simonis & Iudæ. Hunc Domicellum Magnum, regnante adhuc patre suo Birgero, omnes majores natu totius regni Sveorum, etiam ipsi Duces assumserunt in regem, post patris sui obitum regnaturum, præstito ei fidelitatis juramento. Quem cum in castro Stäkeborg obsedissent, non aliter eum educere, nec castrū obtinere potuerunt, nisi eo suscepto per modum captivi, præstita securitate de vitæ & membrorum incolumitate & corporis. Super qua etiam dicuntur præstitisse juramenta terribilia. Post hæc igitur nescio quâ justicia cum debuerunt, aut potuerunt paterno crimine, aut odio mortis supplicio condemnare. Post hæc brevi elapso tempore obijt rex Birgerus, & uxor ejus regina Mereta, exules à regno Sueorum, ut uterque non immerito dicere posset; Quam deficit in dolore vita mea, & animi mei in gemitibus!

Post exterminium regis Birgeri Milites & reliqui Ducum occisorum satellites, postquam vindictam dedissent in hostes Dominorum suorum, & fidelitatem ostendissent suis mortuis Dominis, volebant etiam amplius affectum pium, quem gerebant ad præfatos Dominos. in filios demonstrare, tota sollicitudine laborantes, ut regnum Sveorum à posteritate Regis, & ad Ducum lineam transferretur. Anno igitur Domini MCCCXIX. Dapifer vel Drossatus regni Dominus Matthias Ketilmundson, qui totus ardebat pro honore Ducis Erici, qui & regni gubernator existens, non solum ipsum regnum de obœdientia regis Birgeri & filij ultimate & finaliter ereptum, & ad Ducum partem totaliter inclinatum; ad concordiam & unitatem reduxerat. Sed & Scaniam Regis Birgeri intuitu vehementer afflixerat, talliaverat & subjecerat. Deinde de omnium meliorum totius regni consensu, nobiles, civitatenses & rusticos, de qualibet Contracta quatuor ad festum Iohannis Baptistæ apud Morasten convenire mandavit, de provisione regni, & futuri Regis electione concorditer tractaturos: Magna igitur & pene innumerabili multitudine, die præfatâ & loco quasi ad spectaculum concurrente, quidam prælatorum aut seniorum nobilium, causam convocationis eleganter aperuit. Quod videlicet status & conditio regni exigebat, in unam sententiam totam Regnicolarum

rum multitudinem convenire pro Rege constituendo, & in principem assumendo. De loco similirer, quare ad talem vocati fuissent pro tali negocio peragendo, non minus solenniter quam solerter exposuit. Talem scilicet Regem bonum futurum & utilem, qui apud Morasteen foret electus. Finem autem sui sermonis facit in quadam oratione devota, quatenus Dominus Deus respicere dignaretur, longam, miserabilem ac multiplicem afflictionem, scissuram & divisionem hujus regni, & talem eis concedere Ducem populi sui, unde regnum posset proficere ad honorum summi Regis. Quo finem faciente sermonis, affuit Dominus Matthias gubernator regni prædictus, filiũ Ducis Erici parvulũ, puta triennem vel circiter, tenens in gremio, aui sui Magni Ladulas nomine nominatum, quem offerens conspectui totius multitudinis congregatæ, eleganti sermone prorupit in laudem Ducum defunctorum, præcipue autem Ducis Erici. Quanta videlicet erat gloria huic regno, de talium dominatu; multa in speciali & generali adducens, quibus animos audientium poterat ad eorum compassionem, favorem & complacentiam inclinare. Et quantum præjudicium, damnum & jacturam regno intulit, qui tales ac tantos Principes ei abstulit, quantumque dedecus in perpetuum duraturum regno imposuit, qui tales taliter trucidavit. Deinde subjungens notorium esse, quis ille fuit qui tantum nefas, tale opprobrium, tam irreparabile damnum intulit huic regno. Et quam indignum esset si ille, vel alius de posteritate sua, regni gubernacula possideret. Adjecit etiam talem ac tantam regni injuriam, Deo auxiliante, partim vindicatam, partim, si quid restaret, non esse negligendum. De parvo etiam Domicello quidpiam peroravit, sperans quod certo mores & animum patris sui, & avi sui sequeretur, eorum in omnibus imitator. Tunc quasi per viam Spiritus sancti totâ multitudine acclamante, hic puerulus assumptus est in regem, omnesque ejus in continenti se fidelitati & servitio astrinxerunt, castra & munitiones, quas singuli tenuerunt, illius manibus assignarunt. Iamque rex Norvegiæ Haquinus his diebus à vita decesserat, nec alium reliquerat hæredem quam filiam suam matrem hujus novelli Regis, quam Dux Ericus habuerat, & reliquerat uxorem.

Con-

Continuo igitur Noricolarum affuerunt legati, qui totius regni Norvegiæ incolarum commiſſione & ſufficienti mandato, eundem juvenem Magnum aſſumpſerunt regem. De Gothlandia vero, quam rex Birgerus in Daciam fugiens, ultimate reliquerat, nulla fiebat regi novello difficultas, cum jam totum regnum Sueciæ, non tam regem Birgerum deſeruiſſet, quam eſſet ab eo deſertum. De Scania ſic vero ſe habet: Eo enim anno, quo rex ille Magnus electus eſt, ſcilicet anno Domini MCCCXIX rex Daciæ Ericus obiit, qui ſororem habuit regis Birgeri, cujus ſororem habuit rex Birgerus. Cui anno ſequenti, ſcilicet MCCCXX ſucceſſit in regno frater ejus Chriſtopherus, habens tres filios, nempe Ericum, Ottonem & Valdemarum; Ericum fecit creari in regem, ut ſecum pariter regnum gubernaret. Sed tam filius quam pater inhoneſte viventes, & regimen peſſimum exercentes, deſtituuntur à regno. Nam Ericum nobiles regni captivatum incarcerarunt; Chriſtopherus vero fugit in Alemanniam, unde ſumpto auxilio graviſſimis bellis Daciam impugnavit: Tunc Daci ejus impetum ferre non valentes, aſſumpſerunt in auxilium Comites Holſatiæ Gerardum & Iohannem; Valdemarum vero filium Ducis Slesvicenſis adhuc infantem elegerunt in regem. Comites vero Holſatiæ prædicti occaſione accepta, cœperunt ſibi in Dacos regnandi jus vendicare, & paulatim roborare, ut multa dominia & quædam caſtra Daciæ ſuo dominio ſubjicerent. Holſatici enim Dacis vicini, ſed ab eis auſtrales, ſapientiores ſe putantes, naturali quadam ambitione eis præeſſe laborant. Prohibiti autem & non admiſſi, gravi eos odio perſequuntur: quo morbo & Daci circa Suecos inceſſanter laborant. Daci igitur ab Holſaticis in auxilium aſſumptis graviter afflicti, oppreſſi, pariter & deſpecti, regem ſuum Chriſtopherum revocant & reſtituunt in regiam dignitatem, filium ſuum Ericum à vinculis & carcere abſolventes, ſed brevi tempore regnantes, ambo miſerabiliter moriuntur. Anno MCCCXXI. Holſaticis & Alemannis aliis adhuc fortiter in Dacia radicatis, Ottone fratre regis Chriſtopheri, in Iuthia à Comitibus Holſatiæ captivato; Qui cum noluiſſent in Iuthia totam militiam exterminare, ac idcirco cum grandi exercitu illuc intraſſent, Nicolaus Ebbeſon, nobilis qui-

92. Magnus Smeek.

quidam de Iuthia, nocte intrans oppidum in quo pernoctavit Comes Gerhardus, eum occidit, & multo tempore contra fratrem ejus pugnans & triumphans, tandem occiditur. Tunc & Scania ab Holsaticis violenter & grauiter occupata, non habuit quietem à tanta servitute. Vnde Scanenses contra Alemannos erecti, multos eorum occiderunt in Helsingborg & Lundis, etiam in Ecclesia Lundensi. Annis autem prioribus fuerat à Suecis subacta, quam Dominus Matthias gubernator regni Suecię totam vastavit, & cum præda CCC Milites & nobiles captivos eduxit, qui tẽpore electionis hujus regis Magni in obligatione hujus captivitatis tenebãtur astricti.

Scanenses igitur gravibus undique angustiis laborantes, cum ex una parte bella paterentur gravissima ab Alemannis occupantibus castra & bella eis inferentibus continua: ex alia vero parte urgebantur à Suecis, quibus in summa auri & argenti, ut se redimerent, tenebantur. Ad hoc ergo tanquam ad unicum refugium cucurrerant, ut regem Sueorum Magnum in suum Dominum assumerent, & regno Sueciæ perpetuo subjacerent. Super quo terribilia juramenta præstantes, multa desuper perpetuæ firmitatis litteris & sigillis roborata, tradiderunt notoria monimenta. Sed quia Holsatici adhuc erant in Scania potentes, castra & munitiones validas obtinentes, non poterant sine multo dispendio expugnari. Ideo fecit rex Magnus hoc modo pactum cum illis, ut acceptis LXX millibus marcarum argenti puri, castra sibi traderent, & pacifice omnia sine damnis ulterioribus resignarent. Hanc ergo summam argenti de incolis regni Sueciæ collectam, rex Magnus exposuit, & Scaniam à servitute gravissima liberavit. Relaxans insuper omne argentum & aurum, quod pro captivis eorum, Sueciæ fuisset jure captivitatis soluendum. Sic ergo rex Magnus Sueciam totam, Norvegiam & Scaniam pleno jure adeptus, principium regni habuit gloriosum; *Sed principium lætum, finis quandoque molestus.* Hoc igitur Rege in tenera ætate electo, continuatus est in rectoratu & gubernatione regni, Dominus Matthias Dapifer. Quod eâ strenuitate & prudentiâ gubernabat, ut nemo auderet extra regnum vel intra, aliquid molestiæ, dissensionis & discordiæ attentare. Nec ullo tempore regnum Sueorum in meliori tranquillitate, & prosperitate creditur gubernatum. Hic de consilio meliorum

regni & Regis, accepit ipsi Regis, uxorem de Francia, filiam Comitis Nemurcensis, nomine Blancam, virginem speciosam valde, genuitque ex ea duos filios, & tres filias. Alii dicunt eos VII filios & filias habuisse. Mortuo autem tandem Domino Matthiâ, cujus mors occasio erat multi doloris, cum Rex optatis nuptiis potitus duobus regnis cum Scania, in optima dispositione gloriosissime sublimatus, curam regendi suscepit. Aliquanto igitur tempore consiliis sapientum adhæsit, qui patri suo & Domino Matthiæ fideles extiterant, & tempore pueritiæ suæ curam regni cum gubernatore Matthia gesserant. Et interim laudabiliter vixit & utiliter præfuit, & regnum profecit in abundantia divitiarum & gaudio replebatur; sed hujus gaudii extrema, luctus longior occupavit. Rex enim cœpit vacare deliciis & voluptatibus, odio habens increpantes se, antiquiores & sapientiores Consiliarios aspernari, & à se prorsus ejicere, juniores & degeneres, quibus placuit vita similis, assumendo. Vnde crevit excessus luxuriæ, crapulæ, superbiæ in immensum, cœpitque regnum paulatim in magnam vergere paupertatem, dum hospitalitates & exactiones gravissimæ imponerentur, ad explendam ingluviem, statum & pompam, & onerosam infamiam juvenilis ardoris. Sicq; viris prudẽtibus in regno vel sublatis de medio, vel ejectis prę tędio, vel vilipensis opprobrio, nulla ministrabatur justicia injuriatis & oppressis. Concepto vero proposito adeundi Russiam, factæ sunt S. Birgittę revelationes à Christo, & gloriosa Dei genitrice beatissimâ virgine Mariâ mediante, suadenteq; quod in exercitu suo non assumeret homines externæ nationis; sed quod poneret spẽ suam in Dominum Deum, & contentus esset assumere homines regni sui, qui videlicet vel amore patriæ certarent pro pace & quiete ab hostibus, vel obœdiẽdi necessitate nõ cupiditate spoliandi transirent ad hostes. Sed & quædam aliæ revelationes factæ sunt de statu regni, & pro exhortatione hujus Regis, quas omnes ille parvipendens duxit pro nihilo, non solum non sequens divina consilia, sed in contrarium dirigens actus suos. Collegit enim exercitum præter suos Succos, de Dacis & Alemannis, cum quo vadens ad Russiam, primo quidem impetu victor sibi videbatur effectus, accepto castro Ruthenorum Pekensare & parte terræ Ruthenorum subjugatâ, deceptus consilio Dacorum & Alemannorum quos in suo

ducebat exercitu, plus perdidit quam accepit. Homines enim de Russia dolosi & mendaces, attento quod rex ille cum his quos aliunde vocaverat, qui totam suam intentionem principaliter fundaverant in lucro, pecunia & acquirendis divitiis, cum essent in arcto positi, nec aliud restaret quam Regem omne suum intentum obtinere, promiserunt aurum & argentum se daturos, quantum illi volebant præfigere, aut etiam nominare. Sed & subjectionem omnimodam & perpetuam servitutem, & quicquid humanis dici posset verbis, quod Regem posset ad misericordiam provocare. Sed qui credit misero, creditur esse miser. Credidit ille, & homines dignos morte libertati dimisit, aurumque infinitum nimis, & plus quam voluit accepturus, securus & gaudens cum suis prædictis Consiliaris exspectavit. At Rutheni per hæc verba dimissi, consilii sui non segnes executores, collegerunt exercitum de Tartaris & Lithvanis, & de omni angulo Ruthenorum, veneruntque velocius quam sperabatur, non aurum & argentum, sed ferrum & lapides, cætaraque lethifera allaturi, Regemque cum omni exercitu suo undique circumdantes, obsidione infrangibili obsederunt. Tandem cum extrema difficultate & labore gravissimo suorum Suecorum, quos despexerat, effosso cujusdam fluminis meatu, eorum obsidionem egressus evasit. Tunc Rutheni castrum suum Peckensare ab hominibus Regis occupatum aggressi, & recuperato Suecos ibi repertos morte crudelissima trucidarunt, sicque verificata est revelatio à Beatissima Virgine nunciata: Inimici hujus regni in manu ejus dati, quibus quia pepercit, audito consilio exteriorum facti sunt ei in laqueum magnum. Sicque ille, perditis fidelissimis militib. suis, factis tam inæstimabilib. expensis, tantis damnis acceptis, in multa obligatione ratione stipendii solvendi relictus, ad Sueciam cum tali quali victoria remeavit. Sed ad ista non respiciens, facta erat enim ei facies meretricis, ut neque de turpissimis & notoriis actibus erubesceret, ad majores insanias animum daret. Deserta enim cohabitatione & toro Reginæ, nescio quibus verbis inductæ & prætensione persuasæ, damnatissimæ libidini, propter quam venit ira in filios diffidentiæ, operam dedit. Et hic rumor abominabilis & horrendus, totius in regno vulgi commovit auditum. Regina enim licet ad tempus contenta,

tenta, persuasa forte spe sanctitatis & abstinentiæ; compertâ tamen veritate, aut mutato animo, horribile piaculum Regis, quorundam Consiliariorum ejus, præcipuè forte Prælatorum detexit auditui. Sed & viri quidam hujus rei conscii, licet à Rege plurimum ad rem celandam, ut creditur, sublimati, fœdum nimis auxere rumorem. Pro honestate tamen & decentia habitabat pariter Rex & Regina, & mutua sibi ad invicem obsequia deferebant. De utriusque autem voluntate, & Consiliariorum utriusque regni consensu filii eorum duo, licet parvuli, eliguntur in reges, Ericus scilicet senior in regem Sueciæ, Haquinus autem in regem Norvegiæ. Dicunt autem alii hoc factum fuisse non de Regis & Reginæ consensu, sed Consiliariorum, Prælatorum & omnium notabiliorum regni virorum, coactâ quadam & necessitatâ voluntate, postquam rumor de flagitiosa vita Regis indies crebesceret, & monitus à Prælatis ut vitam corrigeret, & ille jurasset se propositum non mutaturum. Hoc enim genus peccati divinam vindictam inclamans, nedum æternam & gehennalem punitionem sibi vendicat, sed etiam temporalem. Nec contentum est unius personæ actricis tormento, sed totam terram inficit & aërem, ac contra hominis obsequium avertit etiam elementa. Vnde dicitur regnum Cretæ quondam nobiliss: ob unius petulantis flagitium esse subversum. Quo peccato dum Princeps quicunque laborat, subjectus populus & terra cui præsidet, portabunt judicium, quicunque est ille. Hoc ergo timore perterriti Suecorum Majores, & hæc ita esse scientes, putabant forsan hos medio plagam à regno avertere, regni præsidentiam in aliam pérsonam transferendo. Sicque filios regis, unum Sueciæ, alterum Norvegiæ præfecerunt, Regi tamen pro statu suo in utroque regno dominium sufficiens reservantes. Post hæc rex Magnus Militem quendam, quem tam Rex quam Regina plus quam proprios filios diligebant, Ducem fecit, & totius regni non solum gubernatorem, sed & Dominum, modicâ portione sibi retentâ, tradens ei omnia castra saltem meliora & fortiora cum cæteris regni civitatibus, terris & attinentiis. Filium autem suum Ericum, quem regem esse consenserat, non tam regem quam Ducem reputari decrevit. De quo duplici facto licet omnes tam vulgares quam nobiles plurimum turbaren-

barentur, nemo tamen audebat vel in minimo reclamare, donec filius florentis juventutis attigisset ætatem. Tunc enim consilio & auxilio, ac inductione Meliorum regni; Ducem illum à regni dominio exturbare curavit, & consequutus de eo victoriam, recuperans castra, civitates & terras, quas ille de regis Magni traditione tenebat, fugiensq; ille Dux in Scaniam, quam etiam de Regis commissione gubernabat vel in toto, vel in parte, ibidem à Suecis occisus est. Cœpit ergo filius Regis potens esse in regno, patri nihilominus & matri ex debito deferens, & partem eis congruam de regno relinquens. Vivente autem Duce præfato sed expulso ut promittitur, Regina accessit regem Danorum crudelissimum Valdemarum, qui jam reversus ab Alemannia & Bohemia, ubi tempore guerrarum & in expulsione patris sui Christopheri, prævalentibus Holsaticis, latuerat, successione in Dacia cæpit esse potens. In Scania vero nihil habebat omnino, quæ tota sub Rege Sueciæ cum omnibus adjacentiis tenebatur, supplicavitque eidem instantiis importunis, ut auxilium ferret Duci expulso, ut in gradum & honorem habitum restitueretur, & restitutus in regimine quietus & pacificus servaretur: promittens si hoc faceret, ipsa ageret quod Scania regno Daciæ & illius dominio subderetur, fecitque se valde suspectam pro Duce, dum talia attentaret. Ille igitur, ut erat versutissimus, rapacissimus & crudelissimus, acceptâ occasione, fecit quod potuit pro restitutione Ducis. Sed in nullo profecit, illâ vice; quia filius Regis in omnibus prosperabatur, & Dux, ut præmittitur, est occisus. Tunc rex Magnus & Regina videntes se contra filium prævalere non posse, ad certum diem vocaverunt ad se filium cum Consiliariis, sub specie concordiæ cujusdam faciendæ, aut alicus ardui negocii pertractandi. Et cum jam omnia, quæ prætendebant, pertractassent, Regina propinavit filio potionem, unde intoxicationem & mortem se hausisse cognoscens, interrogatus respondit: *Qui me in mundum genuerunt, hi seperant me à mundo.* Sicque ante diem XX ab intoxicatione defunctus est, & rex Magnus reversus est ad regni dominium, & integrum principatum. Erat autem invidia & discordia inter ipsum & Consiliarios regni, cæterosque nobiles & potentes qui filio suo adhæserant, foverant & manu tenuerant, quos ille odiuit oppido.

oppido. Illi vero non magnopere Regem diligebant, qui filium suum, regem videlicet eorum tam nequiter fecisset extingui, & vilem quendam sublimasset in Ducem, præter eorum consensum & velle, ipsis & toti regno cum multa infamia prætulisset. Sed & fama gravissima laborabat contra Regem, non minus quam antea, de spurcissima vita sua. Interim rex Valdemarus obtenta victoria de Holsaticis & Alemannis aliis, qui regnum Danorum habebant in manibus, partim pecuniâ, partim astutiis, partim vero gladiis & bellis ejectis Daciâ pacificata & suo dominio acquisita, cogitare cœpit quod & Scaniam suo dominio subjugaret, & promissionis reginæ Suecorum non immemor, & discordiæ atque dissensionis, quæ erant in Suecia non surdus auditor. Erat enim homo versutiæ vulpinæ, famis lupinæ & audaciæ leoninæ. Consideratis igitur moribus, stulticiâ, pusillanimitate & diffidentiâ regis Magni, animadvertit hominem posse astutia circumveveniri, promissionibus decipi, minis terreri, & in quascunque tendiculas retibus verborum abduci. Sciebat enim Scaniam tantâ summâ argenti redemptam, scilicet & regem Magnum litteras habere super subjectione & possessione Scaniæ, super juramentis & obligatione, & cæteris quæ tractatus initus continebat. Excogitabat igiur & locū & tempus & modum, quo eum ad colloquium invitaret, & linguæ suæ retibus alligandum sub specie traheret pietatis. Acceptis igitur à rege Magno multis regis Valdemari nunciis & litteris favorosis, plenisque nectare syncerissimæ charitatis, ut nihil minus quam apertam deceptionem prætendere viderentur in effectum.

De se stultus homo subversus turbine linguæ
Corruit, & fortes ista procella rapit:

Vt enim hujus rei multa concludam; horum duorum Regum prima consideratio, meretricis & juvenis appræhensi historia est: Veni, inquit, inebriemur uberibus & fruamur cupitis amplexibus. Irretivit quippe eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum, statimque sequitur eum quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat jecur ejus sagitta. Velut si avis festinet ad

laqueum, & nesciat quia de periculo animæ ejus agatur. Vtrisque igitur Regibus ad colloquium venientibus, quis enarrare sufficeret quantis visceribus charitatis, quantis pii amoris affectibus, Rex ille Suecorum tam dulciter invitatus, exceptus sit? Sed opera subsequuta ostendunt evidentius, quanta fuit dilectio invitantis. Nunc enim blandimentis dulcissimis & promissione fidelis assistentiæ, & indissolubilis amoris glutine colligendo; nunc terroribus & minis, núnc pollicitationibus, nunc consiliis & persuasionibus inducitur, pulsatur & vexatur, afficiturque in tantum, ut obstinatius reluctari non valens, Scaniam, Hallandiam & Blekingiam, cum omni regione Nordansundensi traderet, & assignaret ad manus Domini Valdemari tam dulcia promittentis, tam Scanensibus quam Suecis, quam etiam omnibus qui audiverunt, mille maledictiones imprecantibus. Tradidit etiam litteras & omnia documenta, castra similiter & civitates, & quicquid juris habebat in regione Scanensi, Consiliariis suis irrequisitis & ignorantibus; Nullâ etiam factâ de pecunia mentione exposita: nihil enim versabatur ardentius in corde regis Magni, quam destructio & exterminatio Consiliariorum regni sui, in qua sibi pollicitus est assistere rex Valdemarus, faciliter quod voluit impetravit. Licet rex Magnus post mortem filij sui Erici, ad possessionem regni receptus, terribilia præstiterat juramenta, quod vitam suam emendaret, infamiam vitaret, in nullius regnicolæ mortem sine justicia machinaretur, nullas etiam terras, quas regendas acceperat, alienaret à regno. Post quæ juramenta præstita; factus est novissimus error pejor priore. Item exaltavit in Ducem quendam infamiæ suæ consortem, cum maximo scandalo & occasione ruinæ. Item Scaniam tradidit regi Valdemaro tam preciose redemptam; unde orta est suspicio veritatis de fama occulte currente, quod ambo hi reges in destructionem & exterminationem suorum Consiliariorum unanimiter conspirassent. Item concessit & tradidit regi Valdemaro duas terras insulares regni Sueciæ depopulandas & devastandas, si eas sibi subjicere posset, Gotlandiam scilicet & Oelandiam; quæ semper obœdientissime & fidelissime sibi, omnibusque regibus Sueciæ subjectæ fuerunt, & humiliter servientes. Quas ille lupus insatiabilis & rapax

cum

cum exercitu adiens, occidit in Oelandia plus quam D. homines, & destructo castro tatam terram vastatam redegit in solitudinem: Et ablatis cunctis quæ concupierat, populo, qui remansit, præfecit exactores & præfectos nequissimos. In Gotlandia vero IIM. hominum interfecit, tributoque gravissimo imppósito & exacto, omnibusque omni possibilibus ejus abreptis & deportatis, eam suo impiissimo dominio subjugavit. Circa idem tempus captivatus est, eo jubente, Episcopus Abogensis, vir sanctus & innocens, & eidem regi fidelissimus, à qua culpa & excommunicatione contracta nunquam extitit absolutus. Fuit etiam excommunicatus à Papa, propter pecuniam levatam Cameræ Apostolicæ, posito interdicto in regno, quam excommunicationem, ut desperatus parvipendens, & divinis se damnabiliter ingerens, cum alij servarent interdictum, multis erat occasio scandali & erroris. Tunc Episcopi & Prælati, Consiliarij, cæterique nobiles & potentes in angustia positi, in tanta malitia sui regis spem habentes de filio ejus Haquino, induxerunt eundem ad auferendum tantum malum à regno, & ad providendum futuris malis forte majoribus, & exterminiis totius regni. Vnde de eorum consilio ipse Haquinus captivavit patrem suum Magnum in Ecclesia Calmarensi, ponens eum in castro ejusdem civitatis die B. Martini. Tunc tractaverunt cum eodem Haquino, quod acciperet sibi uxorem de Holsatia filiam Comitis; super quo etiam cum tunc regentibus Comitibus relationes & promissiones hinc inde factæ Majoribus quibusdam de regno, se ad eos conferentibus, & virginem illam assumentibus, ut eam in Sueciam adducerent, & reginam efficerent, domicello Haquino, ut consenserat, matrimonialiter copulandam. Idem autem Haquinus mutato proposito, patrem absolvit à vinculis, & libertati ac regno restituit, & ejus se voluntati per omnia conformavit. Tunc rex Magnus suum dilectum regem Valdemarum accersit, ejusque filiam Margaretam filio suo Haquino accepit uxorem, ordinavitque cum rege Valdemaro, quod ipse nobiles regni Sveciæ; qui egressi fuerant ad Holsatiam pro virgine desponsanda & inde adducenda, faceret captivari. Quos & ille in media via captivavit, & in diversis castris regni Daciæ arctæ custodiæ mancipavit. Tunc Dux Maguipolensis, qui sororem regis Magni

Euphemiam habebat uxorem; cui etiam virgo illa de Holſatia deſponſanda, conſanguinitatis lineâ attinebat, & cui forte Comites iſta conquerendo expoſuerant, multis viis ac mediis laborabat, ut Suecos captivos à vinculis liberaret; ſed modis his in nullo proficiens, intravit Daciam cum exercitu DCCC. electiſſimorum militum & ſatellitum bellatorum, & continuis XIIII. hebdomadis igne & gladio regnum Danorum vaſtavit, donec rex ille ſuperbiſſimus & crudeliſſimus, captivos illorum exhiberet de carcere dimittendos. Quos accipiens Dux præfatus remiſit in patriam, regreſſus ipſe ad ſua; Vnientes mox autem in Sueciam viri præfati, non patriam ſed exilium illic invenerunt. Iam enim tam illos quam alios quoſdam meliores regni, rex Magnus exules judicatos ejecit à regno, conſilio regis Valdemari, & conſenſu filii ſui Haquini. Erant autem XXIIII. quos damnavit exilio, pro eo quod ſerioſe ſibi dixerant veritatem de inordinato regimine ſuo, & regni deſolatione, atque conſenſum præſtiterant ſicut & favorem, quod eum filius Haquinus captivaret; quorum Dominorum primi erant iſti: Dominus Nicolaus Epiſcopus Lincopenſis, Dominus Nicolaus Stureſon Dapifer regni, Boëtius Ionſon, poſtea factus Dapifer, Dominus Carolus Antra, Dominus Carolus de Vlſaſom, Dominus Ericus Carlſon, Dominus Benedictus Philipſon, cum aliis nobilibus regni numero XXIV. Egreſſi igitur aut potius expulſi de regno, Gotlandiam acceſſerunt, ibique per inſtantem hyemem permanebant. Feſto vero Paſchæ peracto Viſmariam applicantes, Ducis Magnipolenſis ſe conſpectui præſentaverant. At XII. illi quos ipſe ex captivitate Danica liberaret, ſe coram eo excuſare cœperunt, dicentes ſe implere non poſſe quod ei promiſerant ſe facturos. Ideoque ejus ſe nunc offerunt poteſtati ſubjectos, ut ſicut libuerit ei ipſis utatur ad velle. Quos ille benigne ſuſcipiens, & humaniſſimum ſe exhibens, reſpondit eos vere & fideliter impleviſſe promiſſa, cum per eos non ſtaret, quo minus eſſent effectui mancipata, adjungens etiam, quod Dominus veſter & nobis illudit, & vos ſeducit, perſequiturque, vobis non poterit imputari. Animoſe igitur eos colligens & conſolans, exhibuit eis locum apud ſe manendi, veſtitum ab eo habituros

&

& victum, donec Deus concederet sensum Regis, & cursum temporis aliter immutari. Manentes igitur aliquandiu apud eum, monuerunt regem Magnum charitativis scriptis & nunciis sæpius iteratis, ut regno Sueorum salubrius provideret, meliusque consuleret, & operam daret recuperandi Scaniam, ac terras alias, quæ tempore suo à regno fuerant alienatæ. Scripserunt etiam litteras supplicatorias pro seipsis, ut eos ad gratiam recipere dignaretur, & eos permitteret sustentari de bonis sibi à suis parentibus derelictis, inducentes etiam ipsum Ducem, ut ipse rogare dignaretur Dominum Regem scriptis suis, ut ad gratiam suam recipi mererentur. Quibus omnibus factis, & multo tempore attentatis, cum Rex omnino inflexibilis esset, & contra eos rigorem in nullo vellet penitus temperare, scripserunt ei notorie & aperte, quod ab hac hora in antea, sciret eos suos capitales inimicos futuros, in malum ejus quantum, & ubi potuerunt vigilaturos & operaturos. Vnanimi igitur consilio invicem communicato, assumpserunt in principem regni Sueorum Dominum Albertum, seniorem scilicet filium ejusdem Ducis Magnipolensis, nepotem Domini Magni regis Sueorum ex sorore; præstantes ei homagium tanquam futuro eorum regi. Quo facto cœpit ipse Dux sollicitus esse de filio in Sueciam transmittendo. Fecit igitur in continenti naves parare & expensas, virosque cum armis expediri, qui filium suum comitarentur, & ei fideliter adhærerent. Omnibus ergo hujusmodi negotio necessariis præparatis, præfati Sueorum assumpto suo, quem elegerant, principe, à patre nobiliter & potenter expedito, ad Gotlandiam eum primum inducunt, ubi à civibus & rusticis assumptus est pro principe & rege futuro, ad inductionem & informationem eorundem regni Consiliariorum. Deinde perducentes eum ad Stocholm, fecerunt eum ibi assumi pro principe in regem proxime coronando; sicque Dominus Albertus per eos in regnum Sueciæ introductus, regnum Sueorum regendum suscepit anno Domini MCC- 63. Albertus.
CLXIII. ipso die B. Andreæ habito Holmis magno parlamento, & congregatione prudentiorum ac Prælatorum regni: ubi recapitulatis & ponderatis malis, & demeritis regis Magni, judicatus est honore regali privatus, & omni jure quod in regno habuerat, ipso facto exutus. Tum

 quia

quia excommunicatus & hæreticâ pravitate notatus, ut puta qui jam quinquennio publicè excommunicatus, monitus, & aggravatus, non curaret, de Ecclesiastica potestate male sentiens obstinatus: tum quia regni dilapidator & depopulator, terras & attinentias regni tyrannidi sævissimi & rabidissimi, invidissimique hostis regni Sveorum, voluntarie & studiose laniandas exposuit, fidelissimum sibi populum diris morsibus insatiabilis lupi faucibus offerendo: tum quia incolas regni, quos adhuc sub sua defensione videbatur habere, gravissimis & exactionibus & talliationibus affligebat, ut de eo dici possit: *Rex magis hoste nocet.* Tum quia terram Scaniæ, Hallandiæ, Blekingiæ, & alias adjacentes tam infami & turpi occasione alienavit à regno, quas tam magno pretio recuperatas accepit: tum propter flagitiosissimam atque insanissimam vitam suam, quæ toti regno notoria, aliis horrorem & stuporem, ac metum subversionis regni incussit; aliis occasionē & scandalum ac ruinam in via salutis faciendo: tum propter defectum justitiæ, oppressis & pauperibus ministrando, quam ille nunquā per se, vel per alium exhibere curavit: tum propter implacabile odium in Consiliarios Regni, quos usq; ad mortē persequebatur, propter justitiam, eo quod eū ad viam justitiæ & meliorē Regni gubernationē reducere niterētur. Quos propterea, uxoribus, domibus, liberis & rebus spoliatos ejecit à regno; tum propter multimoda perjuria, & promissionū suarū transgressiones: tum quia truculentissimo hosti hujus regni se conjunxit, & sua tractabat consilia, monitaque sequebatur. Propter hæc igitur & alia quamplurima non diutius toleranda, habebant eum pro juste & legitime deposito, & regio honore indigno, ac regni regimine spoliato. Ne autem regnum ipsum transferrent ad alienigenas, videntes filium ejus superstitem in eandem cum patre sententiam convenisse, elegerunt nepotem Regis, Dominum scilicet hunc Albertum, qui regnum defenderet, terras ablatas reduceret, regnum ipsum ad unitatem & concordiam revocaret. Quo electo ad hanc tandem concordiam est deventum, ut rex Magnus partem regni pro sua sustentatione & status decentia retineret; Albertus vero regnum gubernaret, & nomen Regis officiumque haberet, & reliquum regni pro sua & regni utilitate possideret. Quibus omnibus rex Magnus cum

cum filio suo Haquino assensit, & inviolabiliter observare promisit, juravit & aperte firmavit, & aliquanto tempore sic servauit. Dicunt tamen aliqui regem Magnum huic concordiæ & ordinationi nunquam præbuisse consensum, sed à primo introitu Domini Alberti statim contradixisse, & quantum potuit impugnasse, & demum cum exercitu occurisse, quando & captus est; & sic demũ nedum jure, sed & facto regni possessione privatus est. Ecce finem hujus regis tam gloriose & concorditer electi! de quo illud creditur in revelatione S. Birgittæ facta prædictum: *Erit sicut asinus coronatus, nobiliter quidem educatus sed posuit maculam in gloriam suam.* Et nota ibidem adjunctum, *in electione quatuor indebite observari, quæ sunt: Inordinatus amor, prudentia simulata, adulatio stultorum, & diffidentia de Deo.* Item ibidem: *Dico tibi de duobus regnis, in uno est electio, in altero hæreditas; Primum ubi est electio, destructum & afflictum est, quia verus hæres non eligebatur, & hoc fecerunt partes eligentium, & cupiditas ambientis regnum.* Vide igitur nunc quantum afflictum est regnum Sveciæ sub hoc rege, qui svadentibus Ducalibus, & prudenter ac juste se cuncta gessisse & vindicasse gloriantibus, in favorem Ducum electus est, occiso filio regis quantum ad necem principum innocente. Qui jam antea assumptus fuerat in regem, cui & præstita erat securitas vitæ, mediis juramentis: Cujus amore Deus contemnitur ejus persequutione contemnens punitur. AEsopus quoque ait:

Spernere quod prosit, & amare quod obsit, ineptum est.
Prodest quod fugimus, & quod amamus obest.

Hic regnavit annis XLVI. Nam anno Domini MCCCXIX. electus est, & anno Domini MCCCLXV. captus est: Anno MCCCLXII. Albertus filius Ducis Magnipolensis, hoc est, de Mekelburg, nepos regis Magni ex sorore, introductus in regnum, primo quidem in Gothlandiam, deinde in oppido Stokholmensi per XXVI. nobiles & potentes regni, per regem Magnum exclusos à regno, rege Magno ob sua demerita refutato, in regem suscipitur, ac in regni solium sublimatus, gubernacula regni Sveorum adeptus est. Contentus autem erat rex Magnus partem habere de regno, cæteris suo nepoti dimissis, ut quidam narrant. Certum tamen est quod rex Albertus castra non statim obtinuit, super quibus obtinendis

septennio laboravit. Ipso igitur Domino Alberto circa obsidionem castri Abogensis diutius cum Suecis, qui eum collegerant, occupato; Vbi occisus est nec scitur à quo, Dominus Nicolaus Stureson Dapifer regni. Interim rex Magnus pœnitentiâ ductus, de consensu concordiæ prius factæ (si tamen aliquando præstitit hunc consensum) vel saltem tempus oportunum ratus & aptum, dum novelli Regis potentia extra Sveciam, puta in Finlandia, versaretur, collegit exercitum de Dacia & Norvegia, & parte Sveciæ subjecta adhuc suæ obædientiæ; cum quo ad debellandum regem Albertum & qui eum adduxerunt, quique cum eo advenerant versus Stokholmiam de Vestgothia festinavit. Quod audientes Sueci prædicti, cæterique regis Alberti fautores, assumptis Alemannis, apud Vplandiam relictis civibus Holmensibus, cum cæteris quos in suam partem attrahere potuerant, volebant regi Magno apud Arosiam occurrere pugnaturi. At ille jam Arosiam transierat, multis de suo exercitu post tergum relictis tam Arosiæ, quam circumquaque dispersis. Factum est igitur ut uterque exercitus sibi invicem occurreret in Gaatha, quæ rara est silva inter pontem Østensbro/& pratum magnũ, ab Ecclesia Tillinge versus occidentem in longũ protensum. Bellum ergo mortale committitur, inter eos, caduntq; vulnerati ex utraq; parte & qua plurimi interempti, strageq; commissâ lethiferâ, sangvinis rivi decurrunt, Sueci in Svecos irruunt, frater fatri non parcit, filius patrem trucidat & jugulat. Finaliter ergo victoria cedit Alberto, & rex Magnus fugiente filio captivatur ad Stokholm ducitur captivus, & in tetro carcere septennio detinetur. Gesta sunt hæc anno Domini MCCCLXV. feriâ septimâ post Dominicam Invocavit, quam dicunt fuisse diem S, Matthiæ Apostoli. Haquinus autem filius Regis bello fervente retrocessit, & pontem Østensbro transiliens, & post se dissolvi faciens, captivitatem evasit, & in Norvegiam festinavit: Toto igitur septennio quo rex Magnus tenebatur in vinculis, rex Albertus obsedit castra, quæ ad manus regis Magni à suis fidelibus tenebantur. Rex vero Haquinus, dans operam liberandi patrem suum à vinculis assumpto auxilio de Norvegia, ubi jam in regem assumptus erat, manu validâ Sveciam ingressus, spoliabat Ecclesias, bona quæ poterat auferebat,
guerras

guerras & bella diversa movebat, & specialiter Vestrogothiam & Ostergothiam continuis incursibus infestabat, tantumque tandem potentiæ congesserat, ut Stokholmense oppidum obsideret. Cui dicunt in auxilium supervenisse Dominum Hemmingum Episcopum Abogensem, virum devotissimum, ob fidelitatem quam regi Magno etiam in captivitate servabat, licet ejus mandato fuerat aliquando captivatus. Tumque tantum effecit, ut patrem suum à captivitate liberaret castrorum traditione, quæ hactenus ad manus regis Magni & filij ejus, manu bellica & validâ fuerant conservata. Acceptum ergò patrem duxit secum in Norvegiam, ubi toto tempore vitæ suæ degens, ad ultimum submersus est apud insulam Lingholm, in stagno Bolmefiord. Accepit verò rex Haquinus filiam regis Valdemari uxorem, sicut patres utrinque eorum malitiose tractaverant, in judicium & subversionem regni, & nobilium Sueciæ prædictorum, genuitque ex ea filium Olaum nomine; & brevi post ipse Haquinus Asloiæ defunctus est. Filius autem ejus Olaus quo devenerat, aut ubi, & qua morte obiverit, ignoratur; nisi quod mater ejus quendam Olaum, qui se dicebat filium ejus, igne fecerit concremari. Sicque illa patre suo defuncto Valdemaro, regnum Danorum hæreditario jure suscepit; Regni vero Norvegici, marito defuncto & filio, nescio quo jure obtinuit dominatum, & principissa est utriusque regni effecta. Post hæc rex Albertus regnum Sveorum pacifica possessione adeptus, castris omnibus & munitionibus, cum toto regno sibi traditis, ad nihil aliud motum sui animi convertebat, nisi ut eos qui eum elegerant, assumpserant, introduxerant, è medio auferret, aut vita pulsos, aut regno, aut in extremam redactos paupertatem, aut ignobilem servitutem. Elegit enim Alemannos in Consiliarios, castra & terras, obventiones & reditus illis tradidit, & qualescunq; aut undecunq; essent, dũ tamen Alemanni, digni erant in regno Svecię principari. Certabat enim ille Albertus replere regnũ suis Alemannis,& eos solos habere Cõsiliarios,familiares pugnatores, de Svecis nõ confidens, alios habebat contemptui, ludibrio & derisioni aperte,toto conamine cõiẽdẽs,ut nobiliũ filię & relictę Alemannis etiã vilissimis matrimonio traderentur; quos etsi sciret filios sutorũ aut fabrorũ,non erubuit tamẽ

ſuos cognatos & conſangvineos nominare, ut per hoc ad aures vulgi nobiles putarentur. Cogebantur ergo Sveci bona ſua patrimonialia vendere, ut ſe & familiam ſuam utcumque ſuſtentarent, cum in gravibus expenſis cogerentur regi ſervire, in expeditione frequenti & bellis continuis, quæ fovebat. Putabat enim Scaniam, Hallandiam, & Blekingiam gladio poſſe revincere, continuos inſultus & bella faciens in eaſdem. Sed reſiſtentibus Dacis & Scanenſibus in nullo profecit: Sed & Daci, Norici & Scanenſes, propterea damna graviſſima in VVeſtgothiam, terraſque cæteras Sueciæ faciebant. Totum autem regnum Sueciæ tanta ſub eo ſuppreſſione laborabat, quantâ nunquam fuerat à prima inhabitatione expertum. Alemanni enim omniquaq; diſcurrentes per regnum, omnia quæ victui congruebant, ſuperflue expendebant, & quæ concupiebant, juxta libitum auferebant, habentes etiam ſinguli portionem ſuam de regno, quanta volebant tributa & gravamina imponebant. In tantum erat Rex ille Alemannis ſuis liberalis, ut nihil omnino ſuæ ſuſtentationi, aut uſibus retineret, ſolumque gaudebat cum illis jocari, confabulari, & ſcurrilitatibus deſervire, ita ut nullus Suecorum ad Regis veniret conſpectum quidpiam locuturus, quin multis tam Regis, quam ſuorum præſentium Alemannorum cachinnis irriſus abſcederet. Si quis pauperum aut oppreſſorum accederet, de injuriantibus conqueſturus, velut inſanus à quolibet præſentium ſingulas alapas blaſphemationis accepit juxta vulgare:

Thet tyckte thom Herrom ätlöije wara/
Tå Bönderne kommo fram med ſine Kiära:
Söte Herre Konung j ſkipen oß rätt
Ich kan nicht bättren min leue Knecht.

Nec contenti erant Sueorum Domini prædicti Alemanni, regni clenodia, poſſeſſiones, aurum & argentum ſuis uſibus applicare, ſeque ditare & ſuos loculos replere, quin & juxta magnificentiam principalem, donaria mitterent amicis & notis in patria eorum degentibus, ut oſtenderent divitias gloriæ ſuæ, quaſi dicerent cum Ioſepho: Nunciate patri meo omnem gloriam meam; *Me* enim fecit Deus quaſi patrem Pharaonis & Dominum AEgypti. Moris enim erat regi Alberto, dum quid haberet, notis ſibi mulieribus in Alemannia dona-

donaria mittere, encœnia scilicet novi anni C. marcas in pecunia ad minimum, aut vasa ponderosa argentea. Cujus imitatione pelliparii Alemanni in Suecia stellificati, & inter divos & divites relati, etiam magnificabant fimbrias suas in donativis. Vnde nedum regnum taliter eviseeratum & exhaustum, ad extremam devenit inopiam. Sed & Rex aliis ditatis, ultimate necessitatus cogebatur tyrannice regere, & de spoliis vivere subditorum. Postquam igitur XXV. fere annis regnum Suecorum hanc tyrannidem Regis sui, & exterorum dominantium in terra servitute miserabili tolerasset, videretque mala innumera gentis suæ, eratque videre miseriam, ut nihil deesset calamitati miserorum. Accessit & hoc vulnus doloribus prius inflictis, quod convocatis omnibus, qui terras & prædia libere possidebant in regno, dico Episcopos, Prælatos, religiosorumque locorum & secularium Ecclesiarum, Milites & militares, & nobiles inferioris dignitatis, conditionis & status, Rex prolocutus exponit, quod statum suum juxta regalē decentiā nullo modo tenere posset, nisi ipsi hanc contributionem ei facerent, ut tam Spirituales quam Seculares omne tertium prædium suarum possessionum in auxilium sibi darent. Illi igitur qui jam cogente penuriâ multa prædiorum suorum vendiderant, aut in pignus exposuerant, & multa adhuc paupertatis & indigentiæ angustiâ laborabant, audita tam frivolâ petitione, & tam malignâ Regis sui intensione, perplexi & anxii rogare cœperunt, & terribilibus obsecrationibus flagitaro, ut eorum consilia dignaretur audire. Inveniretur enim modus convenientjor statum Regium decentiâ debitâ sustentandi. At ille respondit se suos Alemannos, quoad viveret, velle dimittere, nec ab eorum consiliis resilire, adjungens quod ea quæ petierat omnino vellet habere, omnia verba eorum in ludibrium convertendo, statimque quod dixerat executioni mandavit, arripiens prædia eorum, non solum ordine numerandi præfixo, sed indifferenter omnia, assignans ea Alemannis possidenda. Sunt qui ferunt Regem juste exegisse, cum posset de omnibus coloniis, nisi consuetudo aut privilegium obsisteret, more aliarum terrarum tributa levare, dicentes ipsos Nobiles & Prælatos minus justè prædicta negasse duplici ratione: tum quia eorum coloni non minus quam alii regnicolæ Regem sustentare teneantur; tum quia

quia bona quæ tenebant ipsi, vel progenitores eorum, tempore guerrarum, vel regno vacante, sibi attraxerant & usurpaverant. Ipsi verò Regis petita indigne ferentes, contra Regem conspirare cœperunt, allegando quod Rex patrimonia eorum vellet arripere, & suis Teutonicis dare. Insuper voluerunt quod Rex nullum castrum regendum traderet nisi Suecis. Ad quod cum Dominum Regem inclinare non possent, ab eo discesserunt & reginæ Margaretæ adhærere cæperunt. Hæc illi. Certum autem est nullum jus eum habuisse eorum Curias invadere, destruere & occupare. Quis autem non videat, quam irrationabile fuerit in regimine & negotiis regni, viros extraneos, adventicios, & regni morum ignaros, Consiliarios assumere? qui neque sciunt, neque volunt bonum regni, spretis his quibus utrumque est animo. Hoc autem bonum egit Albertus, ut tempore sui regiminis, non permiserit cives Holmenses Alemannos, Suecos concives suos concremare, licet adhoc per eos sæpissime fuerit inductus & rogatus. Sed illi nihilominus in sua sententia perdurantes, mox Rege captivato ad eorum incendium processerunt. Videntes ergo Milites & militares, & cæteri regni nobiles, regem Albertum ad hanc omnino tyrannidem esse conversum, ut bona eorum invaderet, & Alemannis traderet occupanda, & hanc ipsam violentiam suam & eorum ad diram desolationem & depauperationem, in risum converteret & cachinnos, & ubique se ab eo & suis haberi ludibrio, direxerunt nuncios suos ad Dominam Margaretam Daciæ & Norvegiæ reginam, ut eos in tantis angustiis, consiliis & auxiliis relevare dignaretur. Sic enim & Daciæ Reges & Norvegiæ facere consueverant, ut superius est expressum. At illa paternæ versutiæ, ambitionis & avaritiæ non expers, cæpit animo tractare, quonam modo posset etiam Sueciæ regnum, cum duobus jam habitis, obtinere. Aptum igitur tempus advenisse considerans, primum certificari volebat de regni dominio obtinendo, quam opem promitteret auxilij ferendi. Cæpit ergo, more paterno, multo sermone blandiri, sapienter concionari tribulatis, hominesque fraudulenter inducere, ut pro paternis legibus & regni privilegiis, armis viriliter & animose certarent. Nec permitterent tam gloriosum regnum, tam victoriosum, tam insigne &

cætera Danici blandimenti verba contexendo, per viles & ignobiles alienigenas occupari. Quæ omnia longo & prudenti sermone composita eorum auribus incuicavit, ut eos redderet ad impugnandum Regem, & se assumendam indeclinabiliter animatos. Deinde quam benigne, animose, quam utiliter, quam feliciter illa dominaretur eisdem, si Dominus Deus ita dignaretur misericordiæ suæ visceribus regnum illud aspicere, ut ipsa eorum fieret Principissa, secundo loco subjunxit. Quibus illi auditis, & si forte sentirent fel sub melle latere, in arcto tamen positi, cum essent eis angustiæ undique approbant mellitos sermones illius, promittentes se eam in Principissam assumere, si illam sentirent sibi fideliter in necessitatibus subvenire. Aut, ut alii putant, statim eam in Dominam assumendo, homagium & fidelitatem præstiterunt. Et exinde firma & fideli ac mutua assistentia se colligantes, cœperunt vires colligere, Curias suas munire, nova fortalitia erigere, regi Alberto obœdientiam & subjectionem subtrahere, aperte se ei opponere, nec amodo eum pro rege recognoscere, pronunciantes eum non rite electum, sed violenter intrusum. Ille verò tantò vehementius se erexit, & ultimum posse suum attentans, eos humiliare, debellare & exterminare nitebatur. Sicque in toto regno guerra fervebat durissima, civitates omnes comburebantur, rustici spoliabantur, terraque pene relinquebatur inculta. Hæc autem guerra sive dissensio, & bellum intestinum multis annis continuatum, regnum redegit in solitudinem. Rex igitur Albertus ad extremam deductus inopiam, nec deserens consuetam superbiam, mutuo accepit à Dominis de Prussia XX. millia noblorum, dans eis Gotlandiam in pignus, & corporalem possessionem civitatis & terræ ejusdem cum effectu illis assignans. Auro igitur memorato accepto, collegit exercitum de Alemannis, associans sibi ratione stipendi undecunque poterat bellatores, assumens etiam quosdam Principes cum gravissimo damno, onere & subversionis occasione, Ducem scilicet Stargardensem, Comitem de Rupin & Comitem de Holsatia. Anno igitur Domini MCCCLXXXVIII. & regni sui XXV. anno, cum jam haberet exercitum congregatum, significavit reginæ Margaretæ se velle cum gente sua confligere

bello

bello famoso, notorio & pedestri. Vnde apparet quod ea jam fuerat in Principissam assumpta, & pro Domina hujus regni recognita, cum adversus eam aciem susceperit dirigendam. Licet robur exercitus contra regem Albertum pugnantis, ex Suecis fuerit integratum, paucis admodum de Dacis assumptis. Notanter enim dicunt chronica, quod cum ex parte Reginæ occisi fuerint VIII. Milites; unus tantum servus Reginæ fuerit occisus. Non igitur Danorũ, sed Sueorum fuit rex Albertus viribus debellatus & armis. Marscalchus enim Sueciæ Ericus capitaneus ex parte Sueorum belli, negocium dirigebat, & totam rem belli contra regem Albertum administrabat. Captum tamen Regem & Principes qui cum eo advenerant, Reginæ manibus offerebant, tanquam Principissæ, vel jam pridem per eos assumptæ, vel bello peracto, ut promiserant, assumendæ: in cujus evidentiam captivum suum Albertum suæ custodiæ assignarunt. Status enim erat locus, similiter & tempus ineundi certaminis, ad diem S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, in Fala VVestrogothiæ. Ad quem locum Rex cum suis in multa pompa & gloria properans, in potentia & virtute exercitus gloriabatur, quasi potens certus victoriæ obtinendæ. Quilibet enim Alemannus tres Suecos non solum vincere, sed & ligare, & quo vellet pellere se jactabat. Sed inito bello mutatus est in eis animus pariter & exitus belli. Captus est enim rex Albertus cum filio suo Erico, & tribus Principibus jam antea nominatis. Milites ejus XX. occisi sunt cum multitudine, satellitum occisorum, cæteris autẽ fugientibus aut etiam captivatis. De Suecis autẽ ex parte Reginæ VIII. Milites occubuerunt, & unus servus Reginæ. Ducitur igitur ad castrum Rex Ludosiã ad Reginę præsentiã, deinde Lindholm in Scaniam, ubi VII. annis cum filio detinebatur in vinculis, donec scilicet Margareta omnia castra Suecię cum Stokholmensi oppido obtinere, sicut de Rege Magno in introitu Alberti factũ fuit. Elapso vero septennio, cum Regina plenâ possessione gauderet, regem Albertũ cum filio absolvit à vinculis, sub pollicitatione solutionis magnæ summæ, quam aut infra tempus præfixum solvere debuit, aut ad captivitatem redire. Toto autem tempore vitæ suæ residuo, degebat in monasterio Dobranensi, ubi etiam est mortuus & sepultus. Captivato autem rege Alberto, multiplicata sunt mala in

terra

tra plusquam temporibus retroactis. Totus enim Ducatus Megapolensis in vindictam & captivationis ultionem regis Alberti surrexit. Civitates namque illæ potentes; Rostock, VVismar & Stokholm, tunc primum arma sumpserunt, terrâ marique Sueciam & Daciam impugnantes. Sed Dacia & Norvegia potentes & fortes habuerunt defensores, Suecia verò nullum. Habebat quidem militiam, sed adeo extenuatam bellis, & oppressionibus fatigatam, ut dicere posset: Venerunt filii usque ad partum, sed non habet vires parturiens. Habebant & Reginam, sed nondum venerat tempus ejus. Expectabat illa tempus idoneum intentioni suæ. Mutuo enim occidendi erant prius, quos illa volebat amotos esse de medio. Pugnabat ergo contra hostes in gladio alieno, utrobique triumphans. Pugnantibus enim invicē Suecis & Alemannis, vincebat illa quavis parte ruente. Sic enim intratura erat cum Danis, ut occisi prius essent Sueci & Alemanni. Tres ergò turmæ armatæ discurrebant per regnū, omnia devorantes, omnia rapientes omnia destruentes. Alemanni enim erūpentes de Stokholm, & de castris quæ adhuc defendebantur nomine regis Alberti, combusserunt Enecopiā, Arosiam, Lincopiam & cæteras civitates, villas rusticorum transcurrentes, & omnia sibi valentia rapientes, & magnam, quasi innumerabilem multitudinem rusticorum, quos congregatos invenerunt juxta montem quendam in parœcia Tillinge, occidentes, qui mons ab eventu dicitur *Bondaberg*, vel *Skadaberg*. Sueci vero congregati per turmas, cum domi consistere non auderent, huc illuc velut insani ferebantur per regnū, metuētes ab hostibus captivari, licet se prætenderent hostes captivaturos. Daci autē jam Domini regni, suo ordine gradiebantur securi. Nemo illis nocere cupiebat, nemo illis, quod habere volebant, negare præsumebat, sed residuum locustæ comedebat brucus. Et hæc integro septennio captivitatis regis Alberti continuata sunt, quem obtinuerunt dimitti prædictæ civitatis, Stokholm, VVismar & Rostock. Neque aliter oppidum Holmense ad manus Reginæ pervenit, quod oppidum loco LXX. millia marcarum argenti puri, quas daturus erat rex Albertus, acceptavit regina. Deferebantur enim victualia de Rostock & VVismaria ad Stokholm absque malignantibus Reginæ, licet totâ potentiâ regnorum suorum hoc oppidum obsedisset,

Domi-

Domino Abraham Milite, cum Domino Algoto Magnusson Reginæ exercitui præsidente; Et cum tempore hyemali, naves quæ victualia adduxerunt, in rupibus essent glacie & gelicidio conclusæ, non poterat eas Reginæ exercitus debellare, quin totâ hyeme illic quiete pausanes, resoluta niue egrederentur in mare, & secure ac pacifice ad propria pervenirent & redirent. Combustio autem civium Holmensium ita sese habet: Stokholm civitas convenarum, ex diversarum nationum hominibus integrata, raro habet concordiam, pacem & amicitiam, sinceramque civium charitatem; Homines enim unius nationis extra suam patriam existentes, plus se diligunt in patria aliena. Vnde fit ut cives Holmenses extranei, majori se amore diligant, foveant & promoveant quam intranei, cum illi extra patriam, isti in patria commorentur. Tempore igitur regis Alberti, Alemanni commorantes in Stokholm, ac se invicem, ut naturale est, plus aliis diligentes, odio habuerunt intraneos, lucra cum eis pariter, ut videbatur, habentes. Sed & hoc eorum auxit invidiam, quod cum pene toti regno dominarentur Alemanni, in cives Holmenses, non sicut voluerunt, potuerant dominari. Multo igitur tempore conceptum odium, quod adversus eos fovebant, palliato colore tegentes, demum ad effectum perducere attentabant. Duodecim annis enim ante captivationē ejusdem regis Alberti, frequenter aures ejus pulsabant, ut ipse dignaretur annuere, aut saltem dissimulare, quod quosdam Suecorum caute vita privarent. Habebant autem conscriptos CLXX. cives, quorum sangvinem sitiebant. Hi autem erant meliores inter omnes Suecos qui habitabant Holmis. Rex vero respondebat hoc nullatenus expedire, nec fieri posse sine magno dispendio regni sui & tendere in infamiam & dehonestationem nominis sui. His autem verbis, & similibus eos ab intentione malevola, & nefario opere suspendebat. Capto vero Rege, cum jam sui juris esse cœpissent, quod diu conceperant & desideraverant, compleverunt. Erat autem initium tale: Cohors quædam instituta erat, dicta Hättebröder/ numero CLXX. à principio, qui continue incesserunt armati die & nocte, quorum erat studium ubicunque Suecos obvios haberent, blasphemice, opprobriose loquerentur ad eos, quærentes in quo loco sederent traditores, in finem, ut æstimo,

ut

ut animos eorum ad impatientiam provocantes, & ad amaritudinem perducentes, cogerent in verba malitiæ prosilire, ut occasione acceptâ mitterent manus in eos, & raperent ad tormenta. Quibus illi frequenter auditis, ægre quidem & moleste ferebant, sed amplius quod talia prætenderent, metuebant. Sciebant enim Alemannos in eorum perditionem longo tempore conspirasse. Convenientes vero in unum tractare cœperunt, quid ad ista foret agendum, & quid taliter salutantibus respondendum, statueruntque differendum esse donec omnis populus conveniret. Certâ igitur die omnibus oppidanis in stuba communi S. Gertrudis convenientibus, cum hæc proponerentur in medium, Alemanni Suecos callide circumvenientes & verbis eludentes, pronunciabant quasi modum Statuti, quod nemo loqueretur de principibus civitatis, dominabus & virginibus cæterisque nisi quod vellet fateri. Et ad hoc deventum est, ut Alemanni & Sueci invicem sibi fraternitatem & fidelitatem in prosperis & adversis cum juramento promitterent, observandam. Atque ita divisi, hi in proposito maligno, illi in periculo remanebant. Brevi autem post tempore postquam Consiliarii regni Dietam celebraturi Telgis, vocabant ad eundem locum Holmensem civitatem, datis litteris salvi conductus, & missis duobus nobilibus, qui eos salvos ducerent & reducerent; Deputati sunt ergo cum eis ituri quatuor, tres scilicet Alemanni potentes, & quartus Suecus dictus Petrus Alenninge. Qui cum pervenissent ad locum, tres præfati recesserunt occulte, socio suo Petro Alenninge ignorante, relicto. Quod cum comperisset idem Petrus socios scilicet suos recessisse, continuo post eos discessit à loco, quem illi expectantes in insidiis, in via apprehensum vulnerabant, verberabant, captivabant, unum servorum occidentes, alterum lethaliter vulnerantes. Dum autem hæc agerentur in via, capti sunt duo notabiliores cives Holmis, & graviter vulnerati inclusi sunt castro, Albrecht Carlson, & Bertil Brun. Quod videntes cives Sueci, timore concepto propter superius gesta & nunc attentata, armati venerunt ad forum & ad Consistorium, ubi erant proconsules, qui omnes erant Alemanni, interrogantes ob quam caussam capti erant viri præfati, & claves ab eorum uxoribus arreptæ, & cur in castro positi, & non potius juxta Leges & consuetudinem

tudinem civitatis eorum caussa tractata? Ad quod responderunt Alemanni Proconsules, nullam culpam scire cum aliquo, & quod viri præfati, si essent injuste captivati, cum justitia possent liberari. Item quod vellent statim ire ad capitaneos castri, & agere quod liberarentur &c. omnia loquentes in dolo, uno tamen dimisso ad tempus, ut aliquid fecisse viderentur. Et tunc denuo in unam militiam conjurarunt, promittentes, ut quicunque Dominus eorum fieret, nunquam Suecus conquereretur de Alemanno, nec econtrà. Hæc acta sunt sabbatho Trinitatis, anno Domini MCCCLXXXIX. Et quievit hæc dissensio die illâ, & die sequenti, Dominicâ scilicet Trinitatis usque ad finitum Completorij in monasterio. Quo finito, clausæ sunt portæ civitatis, & pulsatum est pro excubiis, Proconsulesque convenerunt in unum, & totâ nocte illâ, quam ducebant insomnem, inter castrum & suos Hättebröder continue vagabantur. Erat autem quidam Alff Grefferad, qui principaliter hæc tractabat. Summo igitur mane diei sequentis, scil. secundæ feriæ, stabant castrenses infra portam castri armati. Cohors autem dicta Hättebröder/ in stuba communi stabat etiam armata. Tunc Proconsules summo mane miserunt pro Consulatu, quatenus in continenti venirent in Consistorium. Postquam autem aliqui de Consulatu venissent, egressi de castro LX. armati stabant in foro, putantes omnes captivandos adesse. Quo conperto egressus de consistorio prædictus Alff Greffuerad, jussit eos redire ad castrum. Quibus regressis, postquam omnes de Consulatu advenissent, & essent in consistorio congregati, egressus idem Greffuerad, evocavit post se duos consules Alemannos, mittens unum ad castrum, ut inde armatos assumeret; alterum vero ad cohortem Hättebröder/ ut & illi accederent loricati, qui erant tunc plures quam M. in unum collecti, statimque utraque pars armata, cum vexillis properabat ad forum. Quibusdam igitur hujusmodi armatorum in Consistorium intromissis, jussus est quidam scripturam afferre, in qua erant inscripti traditores. Quâ allatâ & lectâ, recitati sunt pariter plures ante quadriennium defuncti. Tunc exiit mandatum ut Sueci captivarentur ubicunque inventi, & nulla immunitate gaudere deberent, sive in Ecclesia, sive in monasteriis. Frementes igitur in modum leonum armati prædicti, discurrebant

bant undique per Ecclesiam, monasteria, domos & plateas, rapientes, apprehendentes, vulnerantes, verberantes & captivos ducentes Suecos ubicunque raptos, ducendo eos primum ad consistorium, ubi tenebantur captivi, qui Sueci erant de consulatu. Deinde trahentes eos omnes ad castrum, variis eos tormentorum gravaminibus affligebant, quorum tres ligneis ferris de asseribus quercinis factis, diutissime tormentabant, ut vel sic faterentur culpam aliquam traditionis se egisse. Qui cum amarissime paterentur, nihil talium fuerant confessi. Die igitur sequenti, feria scilicet tertia post Trinitatis, tres præfatos taliter martyrizatos, ne interim sine ulteriori martyrio morerentur, crudelissime combusserunt, quorum nomina erant: Gregorius Rhode, Iöns Kabbamag & Laurens aff Högon, Nocte vero festi corporis Christi præfatus Alff Greffuerad, & sui accesserunt ad Capitaneos castri, rogantes quatenus Sueci captivati, qui tenebantur in castro, traderentur eis ad comburendum, statuentes ut ipsi medietatem bonorum eorum acciperent. Tunc educti in vinculis de castro, in navigio ducti sunt in insulam Käpsing/assumpto pariter quodam sacerdote qui eorum confessiones audiret. Qui, illis auditis, juravit per sacra Dei Evangelia, quod immunes essent à crimine quod eis impingebatur. Nihilominus in domo quadam illic posita, vinculis constricti, igne superposito, concremati sunt nocte quasi media, aliis soporatis. In ipsa autem hora facta sunt fulgura, coruscationes & tonitrua, ac tanta inundatio pluviarum, ut oppidum Stokholmense putaretur continuo subvertendum, anno Domini MCCCLXXXIX. in crastino S. Eschilli, die scilicet Christi Corporis. Sic servata sunt eis juramenta fraternitatis in Consulatu, & sæpe postea iterata.

LIBER QVINTVS.
HISTORIÆ SVECORUM GOTHORUMQUE.

ANno Domini MCCCXCV. Domina Margareta regina Danorum & Noricorum, facta est pleno jure Domina & Regina Sueorum, dimisso rege Alberto de captivitate, & acceptó oppido Stokholmensi cum castro, cæteris castris & 64. *Margareta.* muni-

munitionibus regni jam ante susceptis. Hæc in suo introitu, omnia quæcunque voluerunt Sueci præfigere, conditiones interponere, promittebat & sigillabat. Litteras magnas & pulchras tradebat, inter cætera talia continentes, quod castra regni Sueciæ non nisi intraneis traderentur. Ipsa nihilominus Dacis & Alemannis assignavit castra, officiales instituens & præfectos, homines vilissimos & versutissimos, ut illa erat, qui erant pecuniarum gravissimi exactores, ad laniandum, eviscerandum & exhauriendum miserum regnum Gothorum, & pecuniam ultimam & novissimam in Daciam deferendam, ut non relinqueretur obulus super obulum in toto regno Sueorum. Erat enim inter cætera gravamina innumera & tributa, etiam hoc unum, ut de qualibet cauda jumentorum, certa summa solveretur pecuniæ. Mox autem post introitum suum in regnum, Gothlandiam (quam pater ejus spoliaverat, vastaverat & multo martyrio laniaverat; quam postea rex Albertus recuperatam Dominis de Prussia in pignus obligaverat, pro XXM. nobulorum) redimere disponebat. Imposuit ergo regnicolis summam gravissimam exsolvendam, XII. videlicet oras denariorum monetæ Stokholmensis, cuilibet rustico per universum regnum de qualibet stuba, atque inde redemit Gothlandiam, summam excrescentem suis usibus applicando. Sicque recuperata est, & satis preciose redempta, postquam guerrarum & bellorum rabie innumerâ pro ea reobtinenda, regnum sustinuerat detrimenta. Aliâs etiam nescio quo quæsito colore, & qua occasione inventa, imposuit unam marcam de quolibet fumo vel furno solvendam, ut verbis utar famæ relictæ. Quolibet enim anno, præter illa quotidiana innumera tributa, aliqua etiam occasionalia & extraordinaria solvebantur. Nota etiam quod anno Domini MCDIII. Dominus Algotus Magnusson, & Dominus Abraham, cum magno exercitu obtinuerunt Gothlandiam circa festum Martini, ibique ædificaverunt quinque castra, vallabant civitatem VVijsby, sed nihil finaliter profecerunt. Supervenerunt enim Cruciferi de Prussia in manu potenti, in multa copia navium, & tam civitatem, quam terram liberaverunt, castra ædificata per Suecos funditus evertentes, multique ex utraque parte corruerunt, & nihilominus tam inæstimabili

summa

summa Suecia terram illam redemit. Nota etiam quod aliquibus annis prioribus Ericus Dux, filius Alberti regis obtinuerat duas turres ciuitatis Vijsby, qui moriens in Klinta Gotlandiæ, in castro Landskrona, quod ipse ædificauit, jussit in extremis turres prædictas ciuitati restituit, quarum unam tenuit Dux Iohannes, alteram Sueno Sture. Hæc regina tantæ celebritatis extitit apud Danos, ut eam æstiment sanctam, & canonizatione dignã, apud Suecos vero putatur profundissimo digna inferno. Ipsa reparavit & renovavit metas & terminos inter Holsatiam & Daciam, qui limes dicitur Danavircke. Ipsa spoliavit Dominum Henricum Archiepiscopum Vbsalensem mortuum, & Ecclesiam Vbsalensem. Ipse enim Dominus Henricus homo providus & lucrosus, multum thesaurum reliquit, quem Ecclesiæ suæ deputavit in testamento, clausum in quadam cista magna, bene ferrata & munita. Mortuo vero Domino Henrico Archiepiscopo Vbsalensi, Præpositus Vbsalensis Dominus Iohannes ex commissione ipsius Archiepiscopi, acceptã cistam & plaustro impositã, sedens ipse desuper, duci fecit versus Ecclesiam. Sed veniens præfectus Reginæ Præpositũ trusit in terram, & cistam abripuit violenter, omnem thesaurum & clenodia nobilissima ibidem contenta, sicut sibi commissum fuerat, auferendo. Videntes autem Consiliarii, cæterique potentes in regno, quod omnia castra, civitates, fortalicia, & omnia munita regni essent in manibus exterorum, & considerantes quanta fuerit turbatio in regno de alienatione castrorum, accesserunt Reginam requirentes eam, quatenus satis faceret promissionibus, juramentis & litteris suis, quibus assecuraverat de seruandis Legibus, Priuilegiis, consuetudinibus rationabilibus & approbatis, maxime quod castra & munitiones regni non extraneis traderentur. Quibus ita illa respondit: *Litteras quidem desuper nostras habetis, suademus quatenus illas diligenter & sollicite conseruetis; Castra autem nostra procurabimus custodiri & conservari.* His modis & aliis infinitis, Suecis miseris, quos etiam vere fatuos reputabat; infideles & insanos, quotidie illudebat. Sic illud dulcissimum mel, & albia stillantia myrrham, primum me & favum, in fellis amaritudinem sunt conversa. Castra enim regni tradidit hostibus regni. Erat enim inter cæteros, qui regnum gravissime latrociniis infestabant,

 quidem

suos cognatos&consangvineos nominare, ut per hoc ad aures vulgi nobiles putarentur. Cogebantur ergo Sveci bona sua patrimonialia vendere, ut se & familiam suam utcumque sustentarent, cum in gravibus expensis cogerentur regi servire, in expeditione frequenti & bellis continuis, quæ fovebat. Putabat enim Scaniam, Hallandiam, & Blekingiam gladio posse revincere, continuos insultus & bella faciens in easdem. Sed resistentibus Dacis & Scanensibus in nullo profecit: Sed & Daci, Norici & Scanenses, propterea damna gravissima in VVestgothiam, terrasque cæteras Sueciæ faciebant. Totum autem regnum Sueciæ tanta sub eo suppressione laborabat, quantâ nunquam fuerat à prima inhabitatione expertum. Alemanni enim omniquaq; discurrentes per regnum, omnia quæ victui congruebuant, superflue expendebant, & quæ concupiebant, juxta libitum auferebant, habentes etiam singuli portionem suam de regno, quanta volebant tributa & gravamina imponebant. In tantum erat Rex ille Alemannis suis liberalis, ut nihil omnino suæ sustentationi, aut usibus retineret, solumque gaudebat cum illis jocari, confabulari, & scurrilitatibus deservire, ita ut nullus Sueorum ad Regis veniret conspectum quidpiam locuturus, quin multis tam Regis, quam suorum præsentium Alemannorum cachinnis irrisus abscederet. Si quis pauperum aut oppressorum accederet, de injuriantibus conquesturus, velut insanus à quolibet præsentium singulas alapas blasphemationis accepit juxta vulgare:

Thet tyckte thom Herrom ätlöije wara/
Tå Bönderne kommo fram med sine Kiära:
Söte Herre Konung j skipen oß rätt
Ich kan nicht bättren min leue Knecht.

Nec contenti erant Sueorum Domini prædicti Alemanni, regni clenodia, possessiones, aurum & argentum suis usibus applicare, seque ditare & suos loculos replere, quin & juxta magnificentiam principalem, donaria mitterent amicis & notis in patria eorum degentibus, ut ostenderent divitias gloriæ suæ, quasi dicerent cum Iosepho: Nunciate patri meo omnem gloriam meam; Me enim fecit Deus quasi patrem Pharaonis & Dominum AEgypti. Moris enim erat regi Alberto, dum quid haberet, notis sibi mulieribus in Alemannia dona-

donaria mittere, encœnia scilicet novi anni C. marcas in pecunia ad minimum, aut vasa ponderosa argentea. Cujus imitatione pelliparii Alemanni in Suecia stellificati, & inter divos & divites relati, etiam magnificabant fimbrias suas in donativis. Vnde nedum regnum taliter eviſceratum & exhaustum, ad extremam devenit inopiam. Sed & Rex aliis ditatis, ultimate necessitatus cogebatur tyrannice regere, & de spoliis vivere subditorum. Postquam igitur XXV. fere annis regnum Suecorum hanc tyrannidem Regis sui, & exterorum dominantium in terra servitute miserabili tolerasset, videretque mala innumera gentis suæ, eratque videre miseriam, ut nihil deesset calamitati miserorum. Accessit & hoc vulnus doloribus prius inflictis, quod convocatis omnibus, qui terras & prædia libere possidebant in regno, dico Episcopos, Prælatos, religiosorumque locorum & secularium Ecclesiarum, Milites & militares, & nobiles inferioris dignitatis, conditionis & status, Rex prolocutus exponit, quod statum suum juxta regalẽ decentiã nullo modo tenere posset, nisi ipsi hanc contributionem ei facerent, ut tam Spirituales quam Seculares omne tertium prædium suarum possessionum in auxilium sibi darent. Illi igitur qui jam cogente penuriâ multa prædiorum suorum vendiderant, aut in pignus exposuerant, & multa adhuc paupertatis & indigentiæ angustiâ laborabant, audita tam frivolâ petitione, & tam malignâ Regis sui intensione, perplexi & anxii rogare cœperunt, & terribilibus obsecrationibus flagitaro, ut eorum consilia dignaretur audire. Inveniretur enim modus convenientior statum Regium decentiâ debitâ sustentandi. At ille respondit se suos Alemannos, quoad viveret, velle dimittere, nec ab eorum consiliis resilire, adjungens quod ea quæ petierat omnino vellet habere, omnia verba eorum in ludibrium convertendo, statimque quod dixerat executioni mandavit, arripiens prædia eorum, non solum ordine numerandi præfixo, sed indifferenter omnia, assignans ea Alemannis possidenda. Sunt qui ferunt Regem juste exegisse, cum posset de omnibus coloniis, nisi consuetudo aut privilegium obsisteret, more aliarum terrarum tributa levare, dicentes ipsos Nobiles & Prælatos minus justè prædicta negasse duplici ratione: tum quia eorum coloni non minus quam alii regnicolæ Regem sustentare teneantur; tum

quia bona quæ tenebant ipsi, vel progenitores eorum, tempore guerrarum, vel regno vacante, sibi attraxerant & usurpaverant. Ipsi verò Regis petita indigne ferentes, contra Regem conspirare cœperunt, allegando quod Rex patrimonia eorum vellet arripere, & suis Teutonicis dare. Insuper voluerunt quod Rex nullum castrum regendum traderet nisi Suecis. Ad quod cum Dominum Regem inclinare non possent, ab eo discesserunt & reginæ Margaretæ adhærere cæperunt. Hæc illi. Certum autem est nullum jus eum habuisse eorum Curias invadere, destruere & occupare. Quis autem non videat, quam irrationabile fuerit in regimine & negotiis regni, viros extraneos, adventicios, & regni morum ignaros, Consiliarios assumere? qui neque sciunt, neque volunt bonum regni, spretis his quibus utrumque est animo. Hoc autem bonum egit Albertus, ut tempore sui regiminis, non permiserit cives Holmenses Alemannos, Suecos concives suos concremare, licet adhoc per eos sæpissime fuerit inductus & rogatus. Sed illi nihilominus in sua sententia perdurantes, mox Rege captivato ad eorum incendium processerunt. Videntes ergo Milites & militares, & cæteri regni nobiles, regem Albertum ad hanc omnino tyrannidem esse conversum, ut bona eorum invaderet, & Alemannis traderet occupanda, & hanc ipsam violentiam suam & eorum ad diram desolationem & depauperationem, in risum converteret & cachinnos, & ubique se ab eo & suis haberi ludibrio, direxerunt nuncios suos ad Dominam Margaretam Daciæ & Norvegiæ reginam, ut eos in tantis angustiis, consiliis & auxiliis relevare dignaretur. Sic enim & Daciæ Reges & Norvegiæ facere consueverant, ut superius est expressum. At illa paternæ versutiæ, ambitionis & avaritiæ non expers, cæpit animo tractare, quonam modo posset etiam Sueciæ regnum, cum duobus jam habitis, obtinere. Aptum igitur tempus advenisse considerans, primum certificari volebat de regni dominio obtinendo, quam opem promitteret auxilij ferendi. Cæpit ergo, more paterno, multo sermone blandiri, sapienter concionari tribulatis, hominesque fraudulenter inducere, ut pro paternis legibus & regni privilegiis, armis viriliter & animose certarent. Nec permitterent tam gloriosum regnum, tam victoriosum, tam insigne &

cætera

cætera Danici blandimenti verba contexendo, per viles & ignobiles alienigenas occupari. Quæ omnia longo & prudenti sermone composita eorum auribus inculcavit, ut eos redderet ad impugnandum Regem, & se assumendam indeclinabiliter animatos. Deinde quam benigne, animose, quam utiliter, quam feliciter illa dominaretur eisdem, si Dominus Deus ita dignaretur misericordiæ suæ visceribus regnum illud aspicere, ut ipsa eorum fieret Principissa, secundo loco subjunxit. Quibus illi auditis, & si forte sentirent fel sub melle latere, in arcto tamen positi, cum essent eis angustiæ undique approbant mellitos sermones illius, promittentes se eam in Principissam assumere, si illam sentirent sibi fideliter in necessitatibus subvenire. Aut, ut alii putant, statim eam in Dominam assumendo, homagium & fidelitatem præstiterunt. Et exinde firma & fideli ac mutua assistentia se colligantes, cœperunt vires colligere, Curias suas munire, nova fortalitia erigere, regi Alberto obædientiam & subjectionem subtrahere, aperte se ei opponere, nec amodo eum pro rege recognoscere, pronunciantes eum non rite electum, sed violenter intrusum. Ille verò tantò vehementius se erexit, & ultimum posse suum attentans, eos humiliare, debellare & exterminare nitebatur. Sicque in toto regno guerra fervebat durissima, civitates omnes comburebantur, rustici spoliabantur, terraque pene relinquebatur inculta. Hæc autem guerra sive dissensio, & bellum intestinum multis annis continuatum, regnum redegit in solitudinem. Rex igitur Albertus ad extremam deductus inopiam, nec deserens consuetam superbiam, mutuo accepit à Dominis de Prussia XX. millia noblorum, dans eis Gotlandiam in pignus, & corporalem possessionem civitatis & terræ ejusdem cum effectu illis assignans. Auro igitur memorato accepto, collegit exercitum de Alemannis, associans sibi ratione stipendi undecunque poterat bellatores, assumens etiam quosdam Principes cum gravissimo damno, onere & subversionis occasione, Ducem scilicet Stargardensem, Comitem de Rupin & Comitem de Holsatia. Anno igitur Domini MCCCLXXXVIII. & regni sui XXV. anno, cum jam haberet exercitum congregatum, significavit reginæ Margaretæ se velle cum gente sua confligere

bello

bello famoso, notorio & pedestri. Vnde apparet quod ea jam fuerat in Principissam assumpta, & pro Domina hujus regni recognita, cum adversus eam aciem susceperit dirigendam. Licet robur exercitus contra regem Albertum pugnantis, ex Suecis fuerit integratum, paucis admodum de Dacis assumptis. Notanter enim dicunt chronica, quod cum ex parte Reginæ occisi fuerint VIII. Milites, unus tantum servus Reginæ fuerit occisus. Non igitur Danorũ, sed Sueorum fuit rex Albertus viribus debellatus & armis. Marscalchus enim Sueciæ Ericus capitaneus ex parte Sueorum belli, negocium dirigebat, & totam rem belli contra regem Albertum administrabat. Captum tamen Regem & Principes qui cum eo advenerant, Reginæ manibus offerebant, tanquam Principissæ, vel jam pridem per eos assumptæ, vel bello peracto, ut promiserant, assumendæ: in cujus evidentiam captivum suum Albertum suæ custodiæ assignarunt. Status enim erat locus, similiter & tempus ineundi certaminis, ad diem S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, in Fala VVestrogothiæ. Ad quem locum Rex cum suis in multa pompa & gloria properans, in potentia & virtute exercitus gloriabatur, quasi potens certus victoriæ obtinendæ. Quilibet enim Alemannus tres Suecos non solum vincere, sed & ligare, & quo vellet pellere se jactabat. Sed inito bello mutatus est in eis animus pariter & exitus belli. Captus est enim rex Albertus cum filio suo Erico, & tribus Principibus jam antea nominatis. Milites ejus XX. occisi sunt cum multitudine, satellitum occisorum, cæteris autẽ fugientibus aut etiam captivatis. De Suecis autẽ ex parte Reginæ VIII. Milites occubuerunt, & unus servus Reginæ. Ducitur igitur ad castrum Rex Ludosiã ad Reginę præsentiã, deinde Lindholm in Scaniam, ubi VII. annis cum filio detinebatur in vinculis, donec scilicet Margareta omnia castra Suecię cum Stokholmensi oppido obtinere, sicut de Rege Magno in introitu Alberti factũ fuit. Elapso vero septennio, cum Regina plenâ possessione gauderet, regem Albertũ cum filio absolvit à vinculis, sub pollicitatione solutionis magnæ summæ, quam aut infra tempus præfixum solvere debuit, aut ad captivitatem redire. Toto autem tempore vitæ suæ residuo, degebat in monasterio Dobranensi, ubi etiam est mortuus & sepultus. Captivato autem rege Alberto, multiplicata sunt mala in

terra

tra plusquam temporibus retroactis. Totus enim Ducatus Megapolensis in vindictam & captivationis ultionem regis Alberti surrexit. Civitates namque illæ potentes ; Rostock, VVismar & Stokholm, tunc primum arma sumpserunt, terrâ marique Sueciam & Daciam impugnantes. Sed Dacia & Norvegia potentes & fortes habuerunt defensores, Suecia verò nullum. Habebat quidem militiam, sed adeo extenuatam bellis, & oppressionibus fatigatam, ut dicere posset: Venerunt fili usque ad partum, sed non habet vires parturiens. Habebant & Reginam, sed nondum venerat tempus ejus. Expectabat illa tempus idoneum intentioni suæ. Mutuo enim occidendi erant prius, quos illa volebat amotos esse de medio. Pugnabat ergo contra hostes in gladio alieno, utrobique triumphans. Pugnantibus enim invicē Suecis & Alemannis, vincebat illa quavis parte ruente. Sic enim intratura erat cum Danis, ut occisi prius essent Sueci & Alemanni. Tres ergò turmæ armatæ discurrebant per regnū, omnia devorantes, omnia rapientes omnia destruentes. Alemanni enim erūpentes de Stokholm, & de castris quæ adhuc defendebantur nomine regis Alberti, combusserunt Enecopiā, Arosiam, Lincopiam & cæteras civitates, villas rusticorum transcurrentes, & omnia sibi valentia rapientes, & magnam, quasi innumerabilem multitudinem rusticorum, quos congregatos invenerunt juxta montem quendam in parœcia Tillinge, occidentes, qui mons ab eventu dicitur *Bondaberg*, vel *Skadaberg*. Sueci vero congregati per turmas, cum domi consistere non auderent, huc illuc velut insani ferebantur per regnū, metuētes ab hostibus captivari, licet se prætenderent hostes captivaturos. Daci autē jam Domini regni, suo ordine gradiebantur securi. Nemo illis nocere cupiebat, nemo illis, quod habere volebant, negare præsumebat, sed residuum locustæ comedebat brucus. Et hæc integro septennio captivitatis regis Alberti continuata sunt, quem obtinuerunt dimitti prædictæ civitatis, Stokholm, VVismar & Rostock. Neque aliter oppidum Holmense ad manus Reginæ pervenit, quod oppidum loco LXX. millia marcarum argenti puri, quas daturus erat rex Albertus, acceptavit regina. Deferebantur enim victualia de Rostock & VVismaria ad Stokholm absque malignantibus Reginæ, licet totâ potentiâ regnorum suorum hoc oppidum obsedisset,

Domi-

Domino Abraham Milite, cum Domino Algoto Magnusson Reginæ exercitui præsidente; Et cum tempore hyemali, naves quæ victualia adduxerunt, in rupibus essent glacie & gelicidio conclusæ, non poterat eas Reginæ exercitus debellare, quin totâ hyeme illic quietè pausanes, resoluta niue egrederentur in mare, & secure ac pacifice ad propria pervenirent & redirent. Combustio autem civium Holmensium ita sese habet: Stokholm civitas convenarum, ex diversarum nationum hominibus integrata, raro habet concordiam, pacem & amicitiam, sinceramque civium charitatem; Homines enim unius nationis extra suam patriam existentes, plus se diligunt in patria aliena. Vnde fit ut cives Holmenses extranei, majori se amore diligant, foveant & promoveant quam intranei, cum illi extra patriam, isti in patria commorentur. Tempore igitur regis Alberti, Alemanni commorantes in Stokholm, ac se invicem, ut naturale est, plus aliis diligentes, odio habuerunt intraneos, lucra cum eis pariter, ut videbatur, habentes. Sed & hoc eorum auxit invidiam, quod cum pene toti regno dominarentur Alemanni, in cives Holmenses, non sicut voluerunt, potuerant dominari. Multo igitur tempore conceptum odium, quod adversus eos fovebant, palliato colore tegentes, demum ad effectum perducere attentabant. Duodecim annis enim ante captivationē ejusdem regis Alberti, frequenter aures ejus pulsabant, ut ipse dignaretur annuere, aut saltem dissimulare, quod quosdam Suecorum caute vita privarent. Habebant autem conscriptos CLXX. cives, quorum sangvinem sitiebant. Hi autem erant meliores inter omnes Suecos qui habitabant Holmis. Rex vero respondebat hoc nullatenus expedire, nec fieri posse sine magno dispendio regni sui & tendere in infamiam & dehonestationem nominis sui. His autem verbis, & similibus eos ab intentione malevola, & nefario opere suspendebat. Capto vero Rege, cum jam sui juris esse cœpissent, quod diu conceperant & desideraverant, compleverunt. Erat autem initium tale: Cohors quædam instituta erat, dicta Hättebröder/ numero CLXX. à principio, qui continue incesserunt armati die & nocte, quorum erat studium ubicunque Suecos obvios haberent, blasphemice, opprobriose loquerentur ad eos, quærentes in quo loco sederent traditores, in finem, ut æstimo, ut

ut animos eorum ad impatientiam provocantes, & ad amaritudinem perducentes, cogerent in verba malitiæ prosilire, ut occasione acceptâ mitterent manus in eos, & raperent ad tormenta. Quibus illi frequenter auditis, ægre quidem & moleste ferebant, sed amplius quod talia prætenderent, metuebant. Sciebant enim Alemannos in eorum perditionem longo tempore conspirasse. Convenientes vero in unum tractare cœperunt, quid ad ista foret agendum, & quid taliter salutantibus respondendum, statueruntque differendum esse donec omnis populus conveniret. Certâ igitur die omnibus oppidanis in stuba communi S. Gertrudis convenientibus, cum hæc proponerentur in medium, Alemanni Suecos callide circumvenientes & verbis eludentes, pronunciabant quasi modum Statuti, quod nemo loqueretur de principibus civitatis, dominabus & virginibus cæterisque nisi quod vellet fateri. Et ad hoc deventum est, ut Alemanni & Sueci invicem sibi fraternitatem & fidelitatem in prosperis & adversis cum juramento promitterent, observandam. Atque ita divisi, hi in proposito maligno, illi in periculo remanebant. Brevi autem post tempore postquam Consiliarii regni Dietam celebraturi Telgis, vocabant ad eundem locum Holmensem civitatem, datis litteris salvi conductus, & missis duobus nobilibus, qui eos salvos ducerent & reducerent; Deputati sunt ergo cum eis ituri quatuor, tres scilicet Alemanni potentes, & quartus Suecus dictus Petrus Alenninge. Qui cum pervenissent ad locum, tres præfati recesserunt occulte, socio suo Petro Alenninge ignorante, relicto. Quod cum comperisset idem Petrus socios scilicet suos recessisse, continuo post eos discessit à loco, quem illi expectantes in insidiis, in via apprehensum vulnerabant, verberabant, captivabant, unum servorum occidentes, alterum lethaliter vulnerantes. Dum autem hæc agerentur in via, capti sunt duo notabiliores cives Holmis, & graviter vulnerati inclusi sunt castro, Albrecht Carlson, & Bertil Brun. Quod videntes cives Sueci, timore concepto propter superius gesta & nunc attentata, armati venerunt ad forum & ad Consistorium, ubi erant proconsules, qui omnes erant Alemanni, interrogantes ob quam caussam capti erant viri præfati, & claves ab eorum uxoribus arreptæ, & cur in castro positi, & non potius juxta Leges & consuetudinem

tudinem civitatis eorum caussa tractata? Ad quod responderunt Alemanni Proconsules, nullam culpam scire cum aliquo, & quod viri præfati, si essent injuste captivati, cum justitia possent liberari. Item quod vellent statim ire ad capitaneos castri, & agere quod liberarentur &c. omnia loquentes in dolo, uno tamen dimisso ad tempus, ut aliquid fecisse viderentur. Et tunc denuo in unam militiam conjurarunt, promittentes, ut quicunque Dominus eorum fieret, nunquam Suecus conquereretur de Alemanno, nec econtrà. Hæc acta sunt sabbatho Trinitatis, anno Domini MCCCLXXXIX. Et quievit hæc dissensio die illâ, & die sequenti, Dominicâ scilicet Trinitatis usque ad finitum Completorij in monasterio. Quo finito, clausæ sunt portæ civitatis, & pulsatum est pro excubiis, Proconsulesque convenerunt in unum, & totâ nocte illâ, quam ducebant insomnem, inter castrum & suos Hättebröder continue vagabantur. Erat autem quidam Alff Greffuerad, qui principaliter hæc tractabat. Summo igitur mane diei sequentis, scil. secundæ feriæ, stabant castrenses infra portam castri armati. Cohors autem dicta Hättebröder/ in stuba communi stabat etiam armata. Tunc Proconsules summo mane miserunt pro Consulatu, quatenus in continenti venirent in Consistorium. Postquam autem aliqui de Consulatu venissent, egressi de castro LX. armati stabant in foro, putantes omnes captivandos adesse. Quo conperto egressus de consistorio prædictus Alff Greffuerad, jussit eos redire ad castrum. Quibus regressis, postquam omnes de Consulatu advenissent, & essent in consistorio congregati, egressus idem Greffuerad, evocavit post se duos consules Alemannos, mittens unum ad castrum, ut inde armatos assumeret; alterum vero ad cohortem Hättebröder/ ut & illi accederent loricati, qui erant tunc plures quam M. in unum collecti, statimque utraque pars armata, cum vexillis properabat ad forum. Quibusdam igitur hujusmodi armatorum in Consistorium intromissis, jussus est quidam scripturam afferre, in qua erant inscripti traditores. Quâ allatâ & lectâ, recitati sunt pariter plures ante quadriennium defuncti. Tunc exiit mandatum ut Sueci captivarentur ubicunque inventi, & nulla immunitate gaudere deberent, sive in Ecclesia, sive in monasteriis. Frementes igitur in modum leonum armati prædicti, discurrebant

bant

bant undique per Ecclesiam, monasteria, domos & plateas, rapientes, apprehendentes, vulnerantes, verberantes & captivos ducentes Suecos ubicunque raptos, ducendo eos primum ad consistorium, ubi tenebantur captivi, qui Sueci erant de consulatu. Deinde trahentes eos omnes ad castrum, variis eos tormentorum gravaminibus affligebant, quorum tres ligneis ferris de asseribus quercinis factis, diutissime tormentabant, ut vel sic faterentur culpam aliquam traditionis se egisse. Qui cum amarissime paterentur, nihil talium fuerant confessi. Die igitur sequenti, feria scilicet tertia post Trinitatis, tres præfatos taliter martyrizatos, ne interim sine ulteriori martyrio morerentur, crudelissime combusserunt, quorum nomina erant: Gregorius Rhode, Iöns Kabbamag & Laurensaff Högon, Nocte vero festi corporis Christi præfatus Alff Greffuerad, & sui accesserunt ad Capitaneos castri, rogantes quatenus Sueci captivati, qui tenebantur in castro, traderentur eis ad comburendum, statuentes ut ipsi medietatem bonorum eorum acciperent. Tunc educti in vinculis de castro, in navigio ducti sunt in insulam Käpsing/assumpto pariter quodam sacerdote qui eorum confessiones audiret. Qui, illis auditis, juravit per sacra Dei Evangelia, quod immunes essent à crimine quod eis impingebatur. Nihilominus in domo quadam illic posita, vinculis constricti, igne superposito, concremati sunt nocte quasi media, aliis soporatis. In ipsa autem hora facta sunt fulgura, coruscationes & tonitrua, ac tanta inundatio pluviarum, ut oppidum Stokholmense putaretur continuo subvertendum, anno Domini MCCCLXXXIX. in crastino S. Eschilli, die scilicet Christi Corporis. Sic servata sunt eis juramenta fraternitatis in Consulatu, & sæpe postea iterata.

LIBER QVINTVS.
HISTORIÆ SVECORUM GOTHORUMQUE.

ANno Domini MCCCXCV. Domina Margareta regina Danorum & Noricorum, facta est pleno jure Domina & Regina Sueorum, dimisso rege Alberto de captivitate, & accepto oppido Stokholmensi cum castro, cæteris castris & 64. *Margareta.*

summa Suecia terram illam redemit. Nota etiam quod aliquibus annis prioribus Ericus Dux, filius Alberti regis obtinuerat duas turres ciuitatis Vijsby, qui moriens in Klinta Gotlandiæ, in castro Landskrona, quod ipse ædificauit, jussit in extremis turres prædictas ciuitati restituit, quarum unam tenuit Dux Iohannes, alteram Sueno Sture. Hæc regina tantæ celebritatis extitit apud Danos, ut eam æstiment sanctam, & canonizatione dignã, apud Suecos vero putatur profundissimo digna inferno. Ipsa reparavit & renovavit metas & terminos inter Holsatiam & Daciam, qui limes dicitur Danavircke. Ipsa spoliavit Dominum Henricum Archiepiscopum Vbsalensem mortuum, & Ecclesiam Vbsalensem. Ipse enim Dominus Henricus homo providus & lucrosus, multum thesaurum reliquit, quem Ecclesiæ suæ deputavit in testamento, clausum in quadam cista magna, bene ferrata & munita. Mortuo vero Domino Henrico Archiepiscopo Vbsalensi, Præpositus Vbsalensis Dominus Iohannes ex commissione ipsius Archiepiscopi, acceptã cistam & plaustro impositã, sedens ipse desuper, duci fecit versus Ecclesiam. Sed veniens præfectus Reginæ Præpositũ trusit in terram, & cistam abripuit violenter, omnem thesaurum & clenodia nobilissima ibidem contenta, sicut sibi commissum fuerat, auferendo. Videntes autem Consiliarii, cæterique potentes in regno, quod omnia castra, civitates, fortalicia, & omnia munita regni essent in manibus exterorum, & considerantes quanta fuerit turbatio in regno de alienatione castrorum, accesserunt Reginam requirentes eam, quatenus satis faceret promissionibus, juramentis & litteris suis, quibus assecuraverat de seruandis Legibus, Priuilegiis, consuetudinibus rationabilibus & approbatis, maxime quod castra & munitiones regni non extraneis traderentur. Quibus ita illa respondit: *Litteras quidem desuper nostras habetis, suademus quatenus illas diligenter & sollicite conseruetis; Castra autem nostra procurabimus custodiri & conservari.* His modis & aliis infinitis, Suecis miseris, quos etiam vere fatuos reputabat; infideles & insanos, quotidie illudebat. Sic illud dulcissimum mel, & albia stillantia myrrham, primum me & favum, in fellis amaritudinem sunt conversa. Castra enim regni tradidit hostibus regni. Erat enim inter cæteros, qui regnum gravissime latrociniis infestabant,

 quidem

illa commota & pertinax minis & terroribus intentum suum obtinuit, & continuo in Succiam introduxit, comitante penè tota Daciæ Baronia. Occurrebat autem tota militia Suecorum, cum multa gloria & honore assumens eundem Reginæ nepotem, jam dictum Ericum, in regem & Dominum coronandum; Quem & sine dilatione ducentes cum gaudio ad Morasteen, coronatum in regni solium sublimarunt, anno Domini MCCCXCVI. die Dominica post festum Magdalenæ; Deinde juxta patriæ consuetudinem & municipalium Legum ejus continentiam, regalia præstitit juramenta; Regnum deinde circumiens, promisit & juravit omnia, quæ ad boni & justi regis officium spectant, se fideliter impleturum. Accepit etiam Regina eidem nepoti suo uxorem, filiam regis Angliæ Philippam, pro qua afferenda missus est de Suecia, tanquam principalis, Dominus Thuro Bengtson, qui virginem eandem Regis nomine desponsabat, & cum eo duo Milites de Dacia, cum quibusdam Prælatis & decentissima comitiva. Quam venientem in Daciam rex Ericus & Regina, cum favore & honore debito susceperunt, & regali magnificentia Lundis nuptias celebrarunt, circa festum omnium Sanctorum, magna nobilium multitudine ad nuptias convocata.

Anno Domini MCDX. decollatus est D. Abraham Broderson in in suder Iuthia, ante castrum Sunderborg pro suis demeritis, per regem Ericum vivente adhuc Regina, cui dilectus multum erat idem Dominus Abraham, solus pene inter Suecos feudum aliquod habens à Regina: habuit enim Hallandiam, Verendiam, & alias terras multas. Anno autem Domini MCDXII. obiit regina Margareta in navi sua apud Flensborg, pace facta cum Holsaticis, in vigilia Apostolorum Simonis & Iudæ, ex peste. 65. *Ericus Pomeranus.*

Anno Domini MCCCXCVI. Ericus filius Ducis de Pomerania, nepos Valdemari regis Daciæ crudelissimi ex filia, & nepos reginæ Margaretæ ex sorore, in regem coronatus. Anno Domini MCDXII. plenam regnorum administrationem suscepit, mortua scilicet regina Margareta, quæ prima omnium hæc tria regna conjunxit. Hic quidem lascivus & vanus, ad hæreticam pravitatem facile inclinatus, etsi omnia tria regna, male regendo, vehementer afflixerit, regnum

tamen Sueciæ præ cæteris inique gravavit, in cujus incolas, etiam ad decrepitam ætatem & extremum vitæ terminum, latrocinia exercuit & crudelissime spoliavit. In quem finem castrum VVisborg, statim in principio regnandi, ablatis violenter à civibus turribus duabus, erexit. Effectus finaliter pirata de rege, ab initio regnandi usque ad finem, toto conamine studuit militiam extirpare regnorum; & usque ad dejectissimam servitutem humiliare. Pro qua sua intentione fundanda, hoc consilii adinvenit, maxime in regno Sueorum, ut omnibus castri, omni munitione, omnique emolumento & lucro, Dacis & aliis extraneis assignatis, nihil adjutorii haberent intranei pro militiæ oneribus sustentandis. Et hac de caussa suscitavit contra se principes Alemanniæ propinquiores, puta Comitem Holsatiæ, & Dominos de Schavenborg, aliosque quam plures; potius cum eis in perditionem suæ militiæ conspiravit. Vnde cum omnes adversarii sui putativi essent congregati Slesvviik oppido immunito, & haberet ipse exercitum pene immensum, ut facilimum ei fuisset omnes eos concludere in manu sua, libere eos abire permisit Et cum multis annis obsedisset castrum Gotthorp & Flensborgh, in maximo dispendio, multo vulnere & perditione suorum Militum & nobilium, cum jam ipsi expendissent & consumsissent patrimonialia bona sua, dum ad hoc deventum esset, ut castra capienda forent, dicente quodam Milite de Dacia, dicto Martino Ionson, ad Regem: *Nunc dabo Ducem seu Comitem in manus vestras*. Irrisit hominem, & verbis despectis & subsannationibus repulit eum dicens: *An assare vel lixare eum vis, cum acceperis?* Ac ita noluit accipere castra dum potuit, in quorum obsidione tot annorum curriculis subditi sui fuerunt afflicti, nihil omnino subsidij in expensis obtinentes à Rege; sed bona sua immobilia vendentes, & in pignus exponentes, suis stipendiis militabant; non quidem uno anno, duobus, vel tribus, aut certo aliquo annorum numero, sed unusquisque ubi morte finiebatur, ibi & bellum. Interim autem dum taliter Sueci militarent pro Dacis, ut eis aquirerent terras & castra, officiales Regis, qui castra gubernabant & regnum eviscerabant, eorum colonos, familiam & amicos, reddentes eorum prædia desolata, unde illi sustentari debebant in expeditione Regis, & in terra

aliena

aliena degentes, pugnantes quidem & vulnera sustinentes, nihil autem nisi verba blasphemiæ vincentes. Quorum multi ducti captivi, septem annis in captivitate detinebantur, vinculis, compedibus & carcere affligebantur: nec unquam vel ad solvendum expensas in captivitate consumptas, vel ad redimendum seipsos obulum à Rege aliquem obtinebant. Et ut apertior esset ejus intentio de sua militia extriugvenda, sub tempestate quadamsæ vissima jussit CCC Milites & militares, de omnibus tribus regnis indilate navigio ire ad certum locum. Qui mox egressi à portu & à tempestate absorpti, submersi sunt. Et ne parum sibi foret cum præfatis Principibus in subversionem suorum conspirasse, addidit suscitare contra se & suos civitates maritimas seu siagnales. Quæ idcirco gravius quam illi Principes, horum regnorum loca atque homines affligebant. In quorum hostium congressu, quia Sueci pro Rege certabant fidelius, duplo damna majora receperunt, quam alii. Bello igitur commisso in Oeresund, inDanorum scilicet attinentiis & regno, expositi sunt periculo qui aliunde advenerant, Sueci scilicet, qui non in terra, sed in suis navibus ad pugnam parati jacebant. Vnde captivati sunt Dominus Broderus Suenson, Gregoricus Magnusson capitaneus totius exercitus Suecorum, & Hermannus Rodenkerke, cum innumeris nobilibus minoris conditionis & status, & tenti in Lubeck septennio captivati, cum de Dacis, quantum scire potest, nullus fuerit captivatus. Illi enim videntes pericula imminere, sicut solent, retrahebant se, mittentes anchoras, quæ naves eorum cum remigarent, fortiter retinerent. Quod de Fyonensibus est omnibus manibus manifestum. Et dum Rex ingrederetur Fimbriam, terram videlicet Lubecensium spoliandam, nisi Succi Regi suo tunc fidelissime astitissent, absq; dubio fuisset occisus. Et hæc omnia facientes, non poterant furorem ejus pectoris mitigare, nec odium, quod in eos conceperat, in aliquam benevolentiam permutare. Vnde & cum ob innumeras injurias expulsus esset à regnis, aut potius ipse reliquisset regna, Daciâ & Norvegiâ dimissis, ad spoliandam Sueciam locum aptum delegit, Gothlandiam scilicet, in qua propterea magnum fortalitium erexit, in quo se, tanquam insignem & principalem piratam collocans,

 satelli-

satellites satanæ atque suos ubique per mare direxit, Suecos ubicunque inventos spoliaturos. Qui & continuo vagabantur in rupibus ante oppidum Stokholmense. Damna autem quæ intulit regno Sueciæ, omnem æstimationem excedunt. Nam unâ vice accepit in rupibus septem naves Holmensium magnas, onustas cupro & reliquis mercibus preciosis. Homines verò de Suecia quotquot habere potuerat, tormentis variis consumpsit, alios fame, alios cruce, alios aliis pœnarū generibus occidendo. Hujus Erici regis tempore, solvebatur tributum de Suecia juxta ultimum posse, imo ultra posse cujuslibet incolarum. Nam rusticus, qui colebat unam marcatam terræ, solvit in tributo majori XII. vel XVI. vel XX. marcas, usque ad ultimum obulum, qui de tota possessione sua poterat extorqueri, aut etiam explorari. Vnde erant rustici qui solvebant in majori tributo anni, XXIIII. XXVI. & XXVIII, marcas. Dixi autem in majori tributo, sic enim vulgariter dicebatur, ad differentiam aliorum multorum tributorum & exactionum, quæ annis singulis solvebantur, Omnis autem hæc pecunia deferebatur in Daciam, sicut sub regina Margareta fuerat inchoatum. Erat igitur videre miseriam magnam super afflictione rusticorum, sed & aliorum regnicolarum, cum non posset tanta pecunia reperiri in regno, quanta erat per annos singulos exponenda. Sic ubi autem erat pecunia in regno, erat utique in manibus exactorum Regis & officialium exterorum, qui soli omnia levabant, & soli lucrum & emolumenta habebant, Vnde coacti sunt tam nobiles quam plebei, vendere bona immobilia, & clenodia preciosa à suis sibi parentibus derelicta, sicque fiebant Domini qui aliunde venerant miseri, emptis prædiis undecunque. Inter alios autem Regis officiales & exactores in Suecia, erat quidam Dacus Iösse Erichson, qui Arosiæ residens Valles & Vestmanniam procurabat, Quamvis autem multam tyrannidem temere attentaret, singulariter tamen Vallenses innumeris injuriis affligebat, ita ut viros quinq; in fumo suspenderet, mulieres partui vicinas, in locum equorum ad plaustrum trahendum præponeret, quæ propterea abortientes, fœtus mortuos pepererunt. Eratque clamor nedum in Vallibus, sed & in toto regno, qualis aliquando fuerat in AEgypto supra primogenitis interfectis, non solum de casibus nunc narratis, qui con-

tin-

tingebant ut rarò, sed de quotidianis oppressionibus & pressuris, quibus incessanter & sine misericordia, ut filij Israel in Egypto, immitissimè gravabantur, illudebantur & torquebantur. In his angustiis cum non esset aliquis in regno qui justitiam administraret, quandoque per nuncios, & quandoper litteras & scripta ad Regem directa in Daciam, significabant regiæ Majestati quantis doloribus & amaritudine ducebantur. Sed Advocatus Præfectus Iösse Erickson natus in Dacia, qui & continue scribendo mentiebatur Regi prout voluit, omnes rerum querimonias astutiis suis repellebat. Erat autem eo tempore vir quidam habitans in monte cupri, aut non longe ab eo, ingenuus seu libertus, Engelbertus vocatus, homo magnanimus, sed staturâ pusillus, in Curiis Principum enutritus, facundus & fortis. Hic longæ & gravi afflictioni & calamitati Vallensium compassus, caussam eorum suscepit coram Rege promovendam. Voluntarie igitur se periculis exponens, accessit ad Regem in Dacia constitutum, nunc litteris, nunc vivæ vocis oraculo pauperum Vallensium querelas exponens, obligans se sub pœna talionis, & sub pœna suspendij, singula probaturum, rogans Regem quatenus tam diu eum faceret in carcere observari, & quod ad respondendum præfatum Iösse Erickson faceret ad suam præsentiam evocari, faceretque alterum qui in probatione deficeret, vel qui de injusticia convinceretur, suspendio condemnari. Rex autem sub quadam levitate dissimulans, mandavit Engelberto ad propria redire, traditis ei litteris suis ad Consiliarios regni directis, quibus jussit ut in Valles accedant, de veritate negotij quæsituri, eique de singulis rescripturi; sic tamen quod advocatum suum Iösse Erikson in jure suo conservent. Consiliarij igitur regni regiis obtemperantes mandatis, accesserunt ad locum; sed veritate compertâ, non poterant caussam fine debito terminare, cum non haberent in commissis de eo, qui injusticiam fecerat, judicare. Litteris tamen eorum acceptis, Engelbertus festinat ad Regem, obsecrans pauperibus oppressis justitiam ministrari: erat enim jam notus Regi ex frequenti accessu, & animositate loquendi. Vnde Rex ex frequenti querela commotus, & importunitate attædiatus, eum repulit indignanter, minis adjectis, ne ad ejus conspectum ultra venire præsumeret. Ille vero, ut erat absque

terrore,

Engelb. H.

terrore, adhuc se venturum submurmurans à Rege discessit. Videntes igitur qui Regi porrexerunt preces suas, se non posse apud eum proficere precibus & lacrymis, nec aliis modis quibuslibet eum ad misericordiam inclinare, sed suas angustias indies augmentari continuo, cogitabant potius velle mori, quam diutius videre tanta mala gentis suæ. Condixerant igitur inter se, ut singuli de singulis domibus egredientes, tyrannum illum qui eos tam graviter opprimebat, à suis capitibus amoverent, aut exturbando à regno, aut forsitan occidendo. Præfatum igitur Engelbertum in principem elegerunt, & sic in magna multitudine, in modum exercitus, usque ad Arosiam processerunt. Sed occurrentes quidam de Consiliariis regni, modis quibus poterant animos eorum mitigabant, & ut ad propria redirent suis persuasionibus procurabant, anno Dn. MCDXXXIII. in autumno. Iurabant autem rustici in recessu, nunquam se tributum Iösse Erikson daturos. Postquam vero omnia hoc modo pacata fuissent, & illi ad propria rediissent, præfatus Iösse Erickson missis satellitibus suis, reditus & obventiones consuetus exigi faciebat. Vnde commoti Vallenses, circa medium Quadragesimæ egressi, castrum Arosiæ obsederunt, & eâ vice funditus destruxissent, nisi Consiliarij regni partes suas, componendo, interposuissent. Tractatum est igitur in hunc modum: Quod ille Iösse Erikson amoveretur à castro, & Comes ille Grefwe Hans susciperet gubernandum, qui & ibi Præfectum suum instituit quendam Melchiorem Giörze, sicque rustici ad propria sunt reversi, expectantes nihilominus quod Rex administraret justiciam juxta sua promissa, & Consiliariorum scripta, de Iösse Erickson prædicto. Postquam verò compertum esset in veritate, quod Rex dissimularet, nec ad ista respiceret, sed fama magis invalesceret, intentionem Regis esse graviorem eis tyrannum præficere; tunc egressi Vallenses quasi vir unus, cogitaverunt amovere à castris omnes alienigenas dominantes in populo. In primo igitur congressu combusserunt Berganäs / inde festinantes ad Köpungh; Quo audito Dominus Iohannes Vale Capitaneus illius, dimisso fortalitio, eques properavit ad Stekeburgh. Engelbertus autem demolitus castrum convocavit Vestmannos, ibidem interrogans utrum cum eo consentire vellent

ad

ad expugnandum extraneos impie dominantes? Qui omnes unâ voce consenserunt eidem. Igitur Engelbertus per scripta sua convocat Nobiles & majores natu qui propius habitabant, & facile poterant convocari, & continuo ad Arosiam festinavit. Occurrit autem ei Præfectus de castro Melchior ante dictus, nihil suspicatus adversi, cum de suo beneplacito fuerit institutus. Iussit autem Engelbertus statim sibi castrum tradi. Ille vero dilatione petitâ in crastinum, tradidit die sequenti. Quod acceptum assignavit Engelbertus Domino Nicolao Göstaffson, qui sero præcedenti ad eum venerat. Hic erat pater Erici Puke. Venerunt & plures Nobiles ad Engelbertum, suis litteris adducti, quibus ille suam intentionem exponens, adjecit quod quicunque eum non sequeretur, ad liberandum regnum de manibus exterorum, sciret indubie bona sua populanda, nec posse securum stare in regno. At illi responderunt. justam habemus caussam nosmetipsos liberandi cum regno, qui nullo privilegio, nullâ libertate, sed nec ullâ justitiâ gavisi, ad extremam redacti sumus paupertatem. Nullâ autem factâ morâ Arosiæ, mox ad Vbsaliam tendens, convocat Vbsalenses, & incolas Diæcesis Vbsalensis, conveneruntque continuo quasi vir unus. Quibus in maxima multitudine congregatis, exposuit & illis cur egressus esset, & quid proponeret faciendum. At illi grates agentes firmam illi assistentiam promiserunt. Tunc quasi in centro & regni medio constitutus, consensu nobilium apud eum præsentium, relaxavit tertiam partem de tributo. Eo tempore erat vir quidam nobilis, strenuus, animosus bellicosus & magnanimus, filius Domini Nicolai Göstaffson, Ericus Puke vocatus, cui Engelbertus tradiderat castrum Arosiense. qui dum ista gererentur apud Vbsaliam, moram duxit in Norlandiis, habens castrum Korsholm ex commissione patris sui. Huic direxit Engelbertus litteras, exhortatorias, ut tanquam fidelis indigena, pro liberatione regni ab exteris, fideliter laboraret, committens ei omnes Norlandias procurandas procurandas, & eas ejus rectoratui gubernandas subjiciens. Quibus ille rumoribus auditis, & commissione delegatâ, ut erat homo diri animi serventis affectu, & ad bella gerenda conspicuus, oblata gaudenter acceptat, & non segnis auditor

Ericus Puke.

tudinem civitatis eorum caussa tractata? Ad quod responderunt Alemanni Proconsules, nullam culpam scire cum aliquo, & quod viri præfati, si essent injuste captivati, cum justitia possent liberari. Item quod vellent statim ire ad capitaneos castri, & agere quod liberarentur &c. omnia loquentes in dolo, uno tamen dimisso ad tempus, ut aliquid fecisse viderentur. Et tunc denuo in unam militiam conjurarunt, promittentes, ut quicunque Dominus eorum fieret, nunquam Suecus conquereretur de Alemanno, nec econtrà. Hæc acta sunt sabbatho Trinitatis, anno Domini MCCCLXXXIX. Et quievit hæc dissensio die illâ, & die sequenti, Dominicâ scilicet Trinitatis usque ad finitum Completorij in monasterio. Quo finito, clausæ sunt portæ civitatis, & pulsatum est pro excubiis, Proconsulesque convenerunt in unum, & totâ nocte illâ, quam ducebant insomnem, inter castrum & suos Hätte bröder continue vagabantur. Erat autem quidam Alff Grefferad, qui principaliter hæc tractabat. Summo igitur mane diei sequentis, scil. secundæ feriæ, stabant castrenses infra portam castri armati. Cohors autem dicta Hättebröder / in stuba communi stabat etiam armata. Tunc Proconsules summo mane miserunt pro Consulatu, quatenus in continenti venirent in Consistorium. Postquam autem aliqui de Consulatu venissent, egressi de castro LX. armati stabant in foro, putantes omnes captivandos adesse. Quo conperto egressus de consistorio prædictus Alff Greffuerad, jussit eos redire ad castrum. Quibus regressis, postquam omnes de Consulatu advenissent, & essent in consistorio congregati, egressus idem Greffuerad, evocavit post se duos consules Alemannos, mittens unum ad castrum, ut inde armatos assumeret; alterum vero ad cohortem Hättebröder / ut & illi accederent loricati, qui erant tunc plures quam M. in unum collecti, statimque utraque pars armata, cum vexillis properabat ad forum. Quibusdam igitur hujusmodi armatorum in Consistorium intromissis, jussus est quidam scripturam afferre, in qua erant inscripti traditores. Quâ allatâ & lectâ, recitati sunt pariter plures ante quadriennium defuncti. Tunc exiit mandatum ut Sueci captivarentur ubicunque inventi, & nulla immunitate gaudere deberent, sive in Ecclesia, sive in monasteriis. Frementes igitur in modum leonum armati prædicti, discurrebant

bant undique per Ecclesiam, monasteria, domos & plateas, rapientes, apprehendentes, vulnerantes, verberantes & captivos ducentes Suecos ubicunque raptos, ducendo eos primum ad consistorium, ubi tenebantur captivi, qui Sueci erant de consulatu. Deinde trahentes eos omnes ad castrum, variis eos tormentorum gravaminibus affligebant, quorum tres ligneis ferris de asseribus quercinis factis, diutissime tormentabant, ut vel sic faterentur culpam aliquam traditionis se egisse. Qui cum amarissime paterentur, nihil talium fuerant confessi. Die igitur sequenti, feria scilicet tertia post Trinitatis, tres præfatos taliter martyrizatos, ne interim sine ulteriori martyrio morerentur, crudelissime combusserunt, quorum nomina erant: Gregorius Rhode, Iöns Kabbamag & Laurensaff Högon, Nocte vero festi corporis Christi præfatus Alff Greffuerad, & sui accesserunt ad Capitaneos castri, rogantes quatenus Sueci captivati, qui tenebantur in castro, traderentur eis ad comburendum, statuentes ut ipsi medietatem bonorum eorum acciperent. Tunc educti in vinculis de castro, in navigio ducti sunt in insulam Käpling/assumpto pariter quodam sacerdote qui eorum confessiones audiret. Qui, illis auditis, juravit per sacra Dei Evangelia, quod immunes essent à crimine quod eis impingebatur. Nihilominus in domo quadam illic posita, vinculis constricti, igne superposito, concremati sunt nocte quasi media, aliis soporatis. In ipsa autem hora facta sunt fulgura, coruscationes & tonitrua, ac tanta inundatio pluviarum, ut oppidum Stokholmense putaretur continuo subvertendum, anno Domini MCCCLXXXIX. in crastino S. Eschilli, die scilicet Christi Corporis. Sic servata sunt eis juramenta fraternitatis in Consulatu, & sæpe postea iterata.

LIBER QVINTVS.
HISTORIÆ SVECORUM GOTHORUMQUE.

ANno Domini MCCCXCV. Domina Margareta regina Danorum & Noricorum, facta est pleno jure Domina & Regina Sueorum, dimisso rege Alberto de captivitate, & accepto oppido Stokholmensi cum castro, cæteris castris & muni- 64. *Margareta*

summa Suecia terram illam redemit. Nota etiam quod aliquibus annis prioribus Ericus Dux, filius Alberti regis obtinuerat duas turres ciuitatis Vijsby, qui moriens in Klinta Gotlandiæ, in castro Landskrona, quod ipse ædificauit, jussit in extremis turres prædictas ciuitati restituit, quarum unam tenuit Dux Iohannes, alteram Sueno Sture. Hæc regina tantæ celebritatis extitit apud Danos, ut eam æstiment sanctam, & canonizatione dignā, apud Suecos vero putatur profundissimo digna inferno. Ipsa reparavit & renovavit metas & terminos inter Holsatiam & Daciam, qui limes dicitur Danavircke. Ipsa spoliavit Dominum Henricum Archiepiscopum Vbsalensem mortuum, & Ecclesiam Vbsalensem. Ipse enim Dominus Henricus homo providus & lucrosus, multum thesaurum reliquit, quem Ecclesiæ suæ deputavit in testamento, clausum in quadam cista magna, bene ferrata & munita. Mortuo vero Domino Henrico Archiepiscopo Vbsalensi, Præpositus Vbsalensis Dominus Iohannes ex commissione ipsius Archiepiscopi, acceptā cistam & plaustro impositā, sedens ipse desuper, duci fecit versus Ecclesiam. Sed veniens præfectus Reginæ Præpositū trusit in terram, & cistam abripuit violenter, omnem thesaurum & clenodia nobilissima ibidem contenta, sicut sibi commissum fuerat, auferendo. Videntes autem Consiliarii, cæterique potentes in regno, quod omnia castra, civitates, fortalicia, & omnia munita regni essent in manibus exterorum, & considerantes quanta fuerit turbatio in regno de alienatione castrorum, accesserunt Reginam requirentes eam, quatenus satis faceret promissionibus, juramentis & litteris suis, quibus assecuraverat de seruandis Legibus, Priuilegiis, consuetudinibus rationabilibus & approbatis, maxime quod castra & munitiones regni non extraneis traderentur. Quibus ita illa respondit: *Litteras quidem desuper nostras habetis, suademus quatenus illas diligenter & sollicite conseruetis; Castra autem nostra procurabimus custodiri & conservari.* His modis & aliis infinitis, Suecis miseris, quos etiam vere fatuos reputabat; infideles & insanos, quotidie illudebat. Sic illud dulcissimum mel, & albia stillantia myrrham, primum me & favum, in fellis amaritudinem sunt conversa. Castra enim regni tradidit hostibus regni. Erat enim inter cæteros, qui regnum gravissime latrociniis infestabant,

illa commota & pertinax minis & terroribus intentum suum obtinuit, & continuo in Sueciam introduxit, comitante penè tota Daciæ Baronia. Occurrebat autem tota militia Sueorum, cum multa gloria & honore assumens eundem Reginæ nepotem, jam dictum Ericum, in regem & Dominum coronandum; Quem & sine dilatione ducentes cum gaudio ad Morasteen, coronatum in regni solium sublimarunt, anno Domini MCCCXCVI. die Dominica post festum Magdalenæ; Deinde juxta patriæ consuetudinem & municipalium Legum ejus continentiam, regalia præstitit juramenta; Regnum deinde circumiens, promisit & juravit omnia, quæ ad boni & justi regis officium spectant, se fideliter impleturum. Accepit etiam Regina eidem nepoti suo uxorem, filiam regis Angliæ Philippam, pro qua afferenda missus est de Suecia, tanquam principalis, Dominus Thuro Bengtson, qui virginem eandem Regis nomine desponsabat, & cum eo duo Milites de Dacia, cum quibusdam Prælatis & decentissima comitiva. Quam venientem in Daciam rex Ericus & Regina, cum favore & honore debito susceperunt, & regali magnificentia Lundis nuptias celebrarunt, circa festum omnium Sanctorum, magna nobilium multitudine ad nuptias convocata.

Anno Domini MCDX. decollatus est D. Abraham Broderson in in suder Iuthia, ante castrum Sunderborg pro suis demeritis, per regem Ericum vivente adhuc Regina, cui dilectus multum erat idem Dominus Abraham, solus pene inter Suecos feudum aliquod habens à Regina: habuit enim Hallandiam, Verendiam, & alias terras multas. Anno autem Domini MCDXII. obiit regina Margareta in navi sua apud Flensborg, pace facta cum Holsaticis, in vigilia Apostolorum Simonis & Iudæ, ex peste. 65. *Ericus Pomeranus.*

Anno Domini MCCCXCVI. Ericus filius Ducis de Pomerania, nepos Valdemari regis Daciæ crudelissimi ex filia, & nepos reginæ Margaretæ ex sorore, in regem coronatus. Anno Domini MCDXII. plenam regnorum administrationem suscepit, mortua scilicet regina Margareta, quæ prima omnium hæc tria regna conjunxit. Hic quidem lascivus & vanus, ad hæreticam pravitatem facile inclinatus, etsi omnia tria regna, male regendo, vehementer afflixerit, regnum

tamen Sueciæ præ cæteris inique gravavit, in cujus incolas, etiam ad decrepitam ætatem & extremum vitæ terminum, latrocinia exercuit & crudelissime spoliavit. In quem finem castrum VVisborg, statim in principio regnandi, ablatis violenter à civibus turribus duabus, erexit. Effectus finaliter pirata de rege, ab initio regnandi usque ad finem, toto conamine studuit militiam extirpare regnorum; & usque ad dejectissimam servitutem humiliare. Pro qua sua intentione fundanda, hoc consilii adinvenit, maxime in regno Sueorum, ut omnibus castri, omni munitione, omnique emolumento & lucro, Dacis & aliis extraneis assignatis, nihil adjutorii haberent intranei pro militiæ oneribus sustentandis. Et hac de caussa suscitavit contra se principes Alemanniæ propinquiores, puta Comitem Holsatiæ, & Dominos de Schavenborg, aliosque quam plures; potius cum eis in perditionem suæ militiæ conspiravit. Vnde cum omnes adversarii sui putativi essent congregati Slesvviik oppido immunito, & haberet ipse exercitum pene immensum, ut facilimum ei fuisset omnes eos concludere in manu sua, libere eos abire permisit Et cum multis annis obsedisset castrum Gotthorp & Flensborgh, in maximo dispendio, multo vulnere & perditione suorum Militum & nobilium, cum jam ipsi expendissent & consumsissent patrimonialia bona sua, dum ad hoc deventum esset, ut castra capienda forent, dicente quodam Milite de Dacia, dicto Martino Ionson, ad Regem: *Nunc dabo Ducem seu Comitem in manus vestras.* Irrisit hominem, & verbis despectis & subsannationibus repulit eum dicens: *An assare vel lixare eum vis, cum acceperis?* Ac ita noluit accipere castra dum potuit, in quorum obsidione tot annorum curriculis subditi sui fuerunt afflicti, nihil omnino subsidij in expensis obtinentes à Rege; sed bona sua immobilia vendentes, & in pignus exponentes, suis stipendiis militabant; non quidem uno anno, duobus, vel tribus, aut certo aliquo annorum numero, sed unusquisque ubi morte finiebatur, ibi & bellum. Interim autem dum taliter Sueci militarent pro Dacis, ut eis aquirerent terras & castra, officiales Regis, qui castra gubernabant & regnum eviscerabant, eorum colonos, familiam & amicos, reddentes eorum prædia desolata, unde illi sustentari debebant in expeditione Regis, & in terra

aliena degentes, pugnantes quidem & vulnera sustinentes, nihil autem nisi verba blasphemiæ vincentes. Quorum multi ducti captivi, septem annis in captivitate detinebantur, vinculis, compedibus & carcere affligebantur: nec unquam vel ad solvendum expensas in captivitate consumptas, vel ad redimendum seipsos obulum à Rege aliquem obtinebant. Et ut apertior esset ejus intentio de sua militia extiugvenda, sub tempestate quadam sævissima jussit CCC Milites & militares, de omnibus tribus regnis indilate navigio ire ad certum locum. Qui mox egressi à portu & à tempestate absorpti, submersi sunt. Et ne parum sibi foret cum præfatis Principibus in subversionem suorum conspirasse, addidit suscitare contra se & suos civitates maritimas seu stagnales. Quæ idcirco gravius quam illi Principes, horum regnorum loca atque homines affligebant. In quorum hostium congressu, quia Sueci pro Rege certabant fidelius, duplo damna majora receperunt, quam alii. Bello igitur commisso in Oeresund, in Danorum scilicet attinentiis & regno, expositi sunt periculo qui aliunde advenerant, Sueci scilicet, qui non in terra, sed in suis navibus ad pugnam parati jacebant. Vnde captivati sunt Dominus Broderus Suenson, Gregoricus Magnusson capitaneus totius exercitus Suecorum, & Hermannus Rodenkerke, cum innumeris nobilibus minoris conditionis & status, & tenti in Lubeck septennio captivati, cum de Dacis, quantum scire potest, nullus fuerit captivatus. Illi enim videntes pericula imminere, sicut solent, retrahebant se, mittentes anchoras, quæ naves eorum cum remigarent, fortiter retinerent. Quod de Fyonensibus est omnibus manibus manifestum. Et dum Rex ingrederetur Fimbriam, terram videlicet Lubecensium spoliandam, nisi Sueci Regi suo tunc fidelissime astitissent, absq; dubio fuisset occisus. Et hæc omnia facientes, non poterant furorem ejus pectoris mitigare, nec odium, quod in eos conceperat, in aliquam benevolentiam permutare. Vnde & cum ob innumeras injurias expulsus esset à regnis, aut potius ipse reliquisset regna, Daciâ & Norvegiâ dimissis, ad spoliandam Succiam locum aptum delegit, Gothlandiam scilicet, in qua propterea magnum fortalitium erexit, in quo se, tanquam insignem & principalem piratam collocans,
 satelli-

satellites satanæ atque suos ubique per mare direxit, Suecos ubicunque inventos spoliaturos. Qui & continuo vagabantur in rupibus ante oppidum Stokholmense. Damna autem quæ intulit regno Sueciæ, omnem æstimationem excedunt. Nam unâ vice accepit in rupibus septem naves Holmensium magnas, onustas cupro & reliquis mercibus preciosis. Homines verò de Suecia quotquot habere potuerat, tormentis variis consumpsit, alios fame, alios cruce, alios aliis pœnarũ generibus occidendo. Hujus Erici regis tempore, solvebatur tributum de Suecia juxta ultimum posse, imo ultra posse cujuslibet incolarum. Nam rusticus, qui colebat unam marcatam terræ, solvit in tributo majori XII. vel XVI. vel XX. marcas, usque ad ultimum obulum, qui de tota possessione sua poterat extorqueri, aut etiam explorari. Vnde erant rustici qui solvebant in majori tributo anni, XXIIII. XXVI. & XXVIII, marcas. Dixi autem in majori tributo, sic enim vulgariter dicebatur, ad differentiam aliorum multorum tributorum & exactionum, quæ annis singulis solvebantur, Omnis autem hæc pecunia deferebatur in Daciam, sicut sub regina Margareta fuerat inchoatum. Erat igitur videre miseriam magnam super afflictione rusticorum, sed & aliorum regnicolarum, cum non posset tanta pecunia reperiri in regno, quanta erat per annos singulos exponenda. Sic ubi autem erat pecunia in regno, erat utique in manibus exactorum Regis & officialium exterorum, qui soli omnia levabant, & soli lucrum & emolumenta habebant, Vnde coacti sunt tam nobiles quam plebei, vendere bona immobilia, & clenodia preciosa à suis sibi parentibus derelicta, sicque fiebant Domini qui aliunde venerant miseri, emptis prædiis undecunque. Inter alios autem Regis officiales & exactores in Succia, erat quidam Dacus Iösse Erichson, qui Arosiæ residens Valles & Vestmanniam procurabat, Quamvis autem multam tyrannidem temere attentaret, singulariter tamen Vallenses innumeris injuriis affligebat, ita ut viros quinq; in fumo suspenderet, mulieres partui vicinas, in locum equorum ad plaustrum trahendum præponeret, quæ propterea abortientes, fœtus mortuos pepererunt. Eratque clamor nedum in Vallibus, sed & in toto regno, qualis aliquando fuerat in AEgypto supra primogenitis interfectis, non solum de casibus nunc narratis, qui contin-

tingebant ut rarò, sed de quotidianis oppressionibus & pressuris, quibus incessanter & sine misericordia, ut filij Israel in AEgypto, immitissimè gravabantur, illudebantur & torquebantur. In his angustiis cum non esset aliquis in regno qui justitiam administraret, quandoque per nuncios, & quandoper litteras & scripta ad Regem directa in Daciam, significabant regiæ Majestati quantis doloribus & amaritudine ducebantur. Sed Advocatus Præfectus Iösse Erickson natus in Dacia, qui & continue scribendo mentiebatur Regi prout voluit, omnes rerum querimonias astutiis suis repellebat. Erat autem eo tempore vir quidam habitans in monte cupri, aut non longe ab eo, ingenuus seu libertus, Engelbertus vocatus, homo magnanimus, sed staturâ pusillus, in Curiis Principum enutritus, facundus & fortis. Hic longæ & gravi afflictioni & calamitati Vallensium compassus, caussam eorum suscepit coram Rege promovendam. Voluntarie igitur se periculis exponens, accessit ad Regem in Dacia constitutum, nunc litteris, nunc vivæ vocis oraculo pauperum Vallensium querelas exponens, obligans se sub pœna talionis, & sub pœna suspendij, singula probaturum, rogans Regem quatenus tam diu eum faceret in carcere observari, & quod ad respondendum præfatum Iösse Erickson faceret ad suam præsentiam evocari, faceretque alterum qui in probatione deficeret, vel qui de injusticia convinceretur, suspendio condemnari. Rex autem sub quadam levitate dissimulans, mandavit Engelberto ad propria redire, traditis ei litteris suis ad Consiliarios regni directis, quibus jussit ut in Valles accedant, de veritate negotij quæsituri, eique de singulis rescripturi; sic tamen quod advocatum suum Iösse Erikson in jure suo conservent. Consiliarij igitur regni regiis obtemperantes mandatis, accesserunt ad locum; sed veritate compertâ, non poterant caussam sine debito terminare, cum non haberent in commissis de eo, qui injusticiam fecerat, judicare. Litteris tamen eorum acceptis, Engelbertus festinat ad Regem, obsecrans pauperibus oppressis justitiam ministrari: erat enim jam notus Regi ex frequenti accessu, & animositate loquendi. Vnde Rex ex frequenti querela commotus, & importunitate attædiatus, eum repulit indignanter, minis adjectis, ne ad ejus conspectum ultra venire præsumeret. Ille vero, ut erat absque terrore,

Engelb. H.

ad expugnandum extraneos impie dominantes? Qui omnes unâ voce consenserunt eidem. Igitur Engelbertus per scripta sua convocat Nobiles & majores natu qui propius habitabant, & facile poterant convocari, & continuo ad Arosiam festinavit. Occurrit autem ei Præfectus de castro Melchior ante dictus, nihil suspicatus adversi, cum de suo beneplacito fuerit institutus. Iussit autem Engelbertus statim sibi castrum tradi. Ille vero dilatione petitâ in crastinum, tradidit die sequenti. Quod acceptum assignavit Engelbertus Domino Nicolao Göstaffson, qui sero præcedenti ad eum venerat. Hic erat pater Erici Puke. Venerunt & plures Nobiles ad Engelbertum, suis litteris adducti, quibus ille suam intentionem exponens, adjecit quod quicunque eum non sequeretur, ad liberandum regnum de manibus exterorum, sciret indubie bona sua populanda, nec posse securum stare in regno. At illi responderunt. justam habemus caussam nosmetipsos liberandi cum regno, qui nullo privilegio, nullâ libertate, sed nec ullâ justitiâ gavisi, ad extremam redacti sumus paupertatem. Nullâ autem factâ morâ Arosiæ, mox ad Vbsaliam tendens, convocat Vbsalenses, & incolas Diæcesis Vbsalensis, conveneruntque continuo quasi vir unus. Quibus in maxima multitudine congregatis, exposuit & illis cur egressus esset, & quid proponeret faciendum. At illi grates agentes firmam illi assistentiam promiserunt. Tunc quasi in centro & regni medio constitutus, consensu nobilium apud eum præsentium, relaxavit tertiam partem de tributo. Eo tempore erat vir quidam nobilis, strenuus, animosus bellicosus & magnanimus, filius Domini Nicolai Göstaffson, Ericus Puke vocatus, cui Engelbertus tradiderat castrum Arosiense. qui dum ista gererentur apud Vbsaliam, moram duxit in Norlandiis, habens castrum Korsholm ex commissone patris sui. Huic direxit Engelbertus litteras, exhortatorias, ut tanquam fidelis indigena, pro liberatione regni ab exteris, fideliter laboraret, committens ei omnes Norlandias procurandas procurandas, & eas ejus rectoratui gubernandas subjiciens. Quibus ille rumoribus auditis, & commissione delegatâ, ut erat homo diri animi ferventis affectu, & ad bella gerenda conspicuus, oblata gaudenter acceptat, & non segnis auditor

Ericus Puke.

matâ hoc pacto conveniunt: ut nisi infra VII. septimanas veniat Capitaneo auxilium à Rege, castrum foret tradendum Engelberto. Inde divertens obsedit castrum Nykopense, quod habuit Albertus Styke, similique conditione suscepta, transivit ad Ringestaholm, cujus Capitaneus erat Henricus Styke. Quo obsesso, dum ille protervius responderet, fecit Engelbertus quoddam ligneum ædificium supra aquas, altitudine quinque mansionum, multo ingenio præparari. Quo viso, petiit capitaneus Castri inducias quinque dierum, & hac ratione obtinuit castrum illud Engelbertus. Audierat enim Engelbertus his diebus, Consiliarios regni à Dacia, atque à Regis præsentiâ nuper reversos, constitutos esse Vastenis. Ideoque relicta apud Ringstadholm majori parte exercitus, se transtulit ad Vastenas, exercitui relicto districtè præcipiens, ne ullum verbum cum adversariis interim loqueretur. Multos igitur Consiliariorum invenit congregatos Vastenis, Canutum scilicet Episcopum Lincopensem, Siggonem Scarensem & Thomam Stregnensem, aliosque quam plures conditionis laicalis. Quos omnes seriose hortatus est, studium & laborem suum ad hoc convertere, ut patriam suam liberent ab antiquo & impio jugo servitutis, quo ab exteris premebatur, & animum darent reducere regnum Sueciæ ad pristinam libertatem, ut tributa & onera legalia solvantur ex post, juxta rationis æquitatem, & ut possibile esset laborantem etiam agricolam de suis laboribus sustentari. Nam à temporibus Magni regis ultimi, regnum Sueciæ non habuerat Reges sed tyrannos, quorum studium erat eviscerare & exhaurire, & in solitudinem redigere. Albertus enim regnum exposuit suis Alemannis juxta illorum libitum spoliandum. Regina Margareta callide nitebatur omnem obulum, cæteraque regni clenodia in Danos transferre, post annuum tributum immensas pecuniarum summas solvendas imponens, videlicet Rumpestat & de quolibet fumo unam marcam, & pro redemptione Gothlandiæ XII. oras de quolibet æstuario vel stuba regni, nulla excepta, & Drotninga marck, cæteraque quorum non est numerus. Et nota hic quod rex Albertus exposuit Gothlandiam pro XX. millibus Nobulorum. Regina autem Margareta & nepos suus rex Ericus, accepta de regno tam immensa summa,

qua-

qualem & quantam faciunt totiens XII. oræ, quot sunt stubæ in toto regno & attinentiis ejus, redemerunt Gothlandiam X. millibus nobulorum. Quâ summâ ideo puto Dominos Cruciferos de Prussia fuisse contentos. Nam Sueci ad mandatum Riginæ bellis continuis Gothlandiam infestabant, multa ibidem damna passi, unde fatigati Prutehi per hoc redemerunt vexationem suam, ut saltem aliquam partem mutui recuperarent. Nota exinde, notorium esse Gothlandiam ad Sueciam pertinere, quod eam à rege Alberto, qui Sueciam tum tenuit, Domini de Prussia in pignus receperint pro maxima auri summa. Rex vero Ericus Pomeranus & hujus Reginæ nepos, materteræ suæ moribus in Dacia educatus, ac per eam de suo regimine informatus, regnum Sueciæ perpetuæ servituti sub Dacia subjicere laborabat, ad hoc dirigens motum animi sui, ut regnicolæ ad tantam inopiam volverentur, ne esset eis aliquando possibile vel in minima reclamare. Sic enim & Philistæi filiis Israël jugum imposuerunt servitutis, ut non esset faber ferrarius in toto Israël, sed unusquisque pro cuspide acuendo necesse haberet à Philistæis opem artificis mendicare. Providerant enim Philistæi ne esset clypeus aut lancea, aut aliud genus armorum in Israël, quo se possent adversus eos tueri. Quâ arte usi sunt Persæ, obtento suo tempore monarchico principatu: *Moris erat Persis Ducibus tunc temporis, omnem ducere in arma domum.* Hoc enim prudenti consilio extitit adinventum, ut omnis domus Persarum potens esset, & docta in armis, ut scilicet dum opus esset, potentes essent Persæ subjugare, & sub jugo tenere cæteras nationes. Ad quem finem tendit & Canticum illud: *Nutriat hunc Suecia, vestiat Norvegia regem; Militet ex Dacia, per tempora rex sua multa.* Sic enim dictum regi Christophero: Sverige skal edher födha; Norighe skall edher Klädha; medh Danmarck stelen i strijdha. Mortuâ autem reginâ præfatâ, cum rex Ericus liberam administrationem regnorum, & pleno jure fuisset assequutus regium principatum, assumpsit Consiliarium quendam Militem, Dominum Henricum Fëningsmarcker / cujus consiliis per omnia ducebatur. Hic igitur de regno Sueciæ, tale dedit Regi consilium de tributo perpetuo imponendo, ut de singulis Contractis, Territoriis, Districtibus & civitatibus solverentur certæ denariorum sum-

summæ, in hunc finem, ut quantumcunque regnum hominibus vacuaretur, sive pestilentiis, sive guerris, sive modis aliis; quantumcunque etiam homines depauperarentur angustiis & caristiis, talliationibusque, sicut ipse facere intendebat, nihil Regi in suis obventionibus deperiret. Solvere enim vivi pro mortuis, & habentes aliquid pro nihil habentibus, essent perpetuo obligati; Et ita tributum, quod suo tempore de regno solvebatur, non erat legale; nec ab antiquo consuetum, sed præfati Consiliarij astutiâ adinventum. Quod etiam pecunia daretur pro tributo, non fuerat antiquitus observatum. Sed iste erat modus sibi conveniens; ad evacuandum regnum omnibus rebus, quæ poterant in pecuniam commutari. Iste etiam erat modus aptus ad transferendum in Daciam, quicquid potuit Sveciæ comportare, ut veraciter dici posset; Spoliavit AEgyptios, & ditavit Hebræos. Hæc & alia erant, quæ Engelbertum movebant ad apponendam manum, reducendi Sveciam ad pristinam libertatem. Hanc ergò intentionem suam coram Consiliariis exponens, hortatur eos ut & ipsi similiter cum ipso manus darent. Dicentibus autem illis; *nullo modo id se facere posse, eo quod Regi præstiterint homagij & fidelitatis juramenta.* Respondit, *Regem juramenta præstitisse majora, & nullum vel in minimo implevisse.* Et cum multa Regis crimina, multas injurias, & gravissimas ejus molestias explicasset, quibus se indignum reddiderat regia dignitate, suasit quod Consiliarii ab ejus obædientia se subtraherent, & hoc ei per litteras significarent, illique constanter negabant, asserentes se nullo pacto recessuros à Rege. Iurabat igitur Engelbertus, *aut eos debere consentire cum eo, aut bonis privandos & vitâ.* Tunc illi jurabant se velle fovere regnum in jure suo, & Engelberto in defensione regni fideliter adhærere. Concepit igitur Engelbertus formam scribendi per eos Regi, fecitque scriptam per eos continuo sigillari; quam acceptam per manum servi sui direxit ad Regem. Inde reversus est ad Ringstadholm, acceptavit castrum ab Henrico Styke / transiens mox ad Stäkesbergh / quo confugerat Iohannes Vaale de Nidpungh / & in primo colloquio castrum accepit. Scripsit deinde Ostrogothis ut obsideant Stäkeholm / quod habebat quidam Dacus, Lage Nödh nomine. Quibus occurrentes servi ejusdem,

captivati sunt pene omnes, deinde obsesso castro firmatæ sunt treugæ ad festum De Mattini. Pars autem populi Ostrogothorum, Duce Hermanno Berman, accessit ad castrum Rumblaborg, quod tenebat ad manus Regis quidam Dn. Otto Snapz. Exactus autem ut castrum traderet nuncio Engelberti, proterve respondit hoc minime se facturum. Tunc igne submisso in quatuor partibus, vix tandem vitâ comite nudus evasit. Combusto igitur castro processit exercitus versus Trulleborgh / cujus Capitaneus erat Henningus de Lenchen, qui difficulter impetrato quod salvis bonis suis & vitâ, ipsis fortalicium assignaret, egressus est inde, quo consumpto per ignem, dirigit gressus suos ad Pikzborgh. Quo destructo, transit Engelbertus ad Oerebro, datisque Capitaneo M. marcis, acceptavit id, indeque progressus ad Aresvall/obsidioneque ligavit; Occupabat hoc ipsum Dacus quidam Dn. Andreas Nicolai. Constituit autem Engelb. Capitaneum exercitus Ericum Puke / dans ei Vestrogothos ad obsidionem castri. Scripsit interim Engelbertus Vermelandis, ut in negotio regni se exhibeant voluntarios & fideles, dato eis Capitaneo quodam petro Vlffson. Qui collecto exercitu de Vermelandia, debellavit Dacos, & devastavit tria castra per Dacos occupata, videlicet Edzholm, Dâleborgh & Agneholm. Engelbertus interim in persona transivit ad Oppensteen, cujus Capitaneus erat Alemannus, Martinus Grabo/ nomine Comitis Iohannis. Hic, conservatis sibi vitâ & bonis, castrum tradidit Engelberto, & hic consequenter incendio evertit atque consumpsit. Cum autem tenderet ad Orasteen Præfectus illius Iösse Larenzson Dacus, rebus suis melioribus exportatis, igne supposito & castro combusto, in Daciam festinavit. Omnibus igitur his fortaliciis & regionibus sibi subactis, intravit Engelbertus Hallandiam, convocans ad se populum illius universum, & de Norre Halland/ omnes ei homagium & assistentiam promiserunt, aliis non audentibus propter vicinitatem castrorum. Accessit igitur ad Wardbärgh Engelbertus, evocans ad colloquium D. Absalonem Pedhersen / & cum castrum sibi importune tradi mandaret, tali sunt conventione fœderati: Quod idem Dominus Absalon non se intromitteret de terra Hallandiæ, percepturus nihilominus medietatem de tributo, quam medietatem sibi assignare de-

beat

bebat præfectus Engelberti. Combusto deinde castro Falkenbärg / divertit ad Halmstad cui aperientes cives portas suas, intrantem eum cum humilitate susceperunt. Tunc congregati Scanenses, in potentia apud Lagbaholm cum suo exercitu pausaverunt, ad quos accedens Engelbertus, tractatum pacificum inivit cum iisdem. Erat autem fluvius intermedius inter utrumque exercitum. Vtriusque igitur firmiter promissum est litteris desuper confectis & sigillatis, *quod inter Sveciam & Scaniam pacis fœdera fixa manerent. Quod si pars altera vellet ab hoc fœdere resilire, deberet XII. hebdomadis ante exitum pacis, partem alteram auizare; Quod quidem Sueci facturi fuissent in Lundis, Daci vero Vestenis, nunciis & litteris manifestis.* His itaque gestis, Engelbertus cum gloriosa victoria in Sveciam est regressus, Præfectis & Exactoribus iniquis & exteris ejectis à regno, & castris ac munitionibus regni vel recuperatis, vel eversis. Quis autem non videat opus hoc hoc fuisse clementiæ divinæ, pauperculos incolas regni tam iniq; & tam diu depressos, pietatis oculis respicientis & respirare paulum concedentis? Non enim humani sanguinis effusione, aut Christianorum strage patrata sunt ista; sed divinâ virtute sic terrente tyrannos impios & crudeles, ut velut facie ignis, adventum fugerent Engelberti, & quod mirum est dictu, de transitu tanti exercitus & continuo discursu per regnum, nemo eorum, per quos erat transitus, vel in modico gravabatur, vel lædebatur, ut communiter diceretur, Engelbertum & suum exercitum nec valorem unius gallinæ alicui abstulisse. Rex ergo Ericus rumoribus his auditis, de tota Dacia, ac etiam certis regionibus Alemannorum, immensum collegit exercitum, navigio eum ducturus in Sveciam deprædationibus exponendam. Multa igitur damna passus in via, & multa faciens, tandem pervenit ad Holmiam, multis præ tempestate amissis navibus & viris. Audiens autem Engelbertus Regem cum potentia advenisse, regnicolas jubet pro defensione patriæ singulos de singulis habitaculis proficisci. Nec mora, quasi ad epulas invitati, de omni angulo regni majores natu, civitatenses & rustici in unum concurrunt, & ad Holmiam festinant, Regemque in oppido Stokholmensi firmâ obsidione concludunt, Vplandensibus ante portam aquilonis, & Sudermannis ante oppositam se collocantibus.. En-

gelbertus vero cum Vesmannis & Nericianis se collocavit in Lengehelmen. Interim Rodenses expugnaturi castrum Oesthammer, nec dum ad locum pervenerant, & ecce Præfectus illius, suis omnibus deportatis & castro incenso, navigio diffugit ad Holmiam. Mirum autem quod cum vidissent Regem in tanta potentia advenisse, & oppidum Holmense, multosque potentes in armis secum habere, ita se ab invicem dividere sint ausi, Regisque potentiam, iram atque furorem in tantum parvi pendere, & pro nihilo ducere, ut se inermes & indoctos ad bella æstimarent posse resistere, & nulla ejus adversa formidare. Rex autem eorum animositatem considerans, munivit armatis insulam Domus S. Spiritus, & fratrum Minorum, locaque oportuna cætera. Die igitur statuta, firmatis treugis, dum ad colloquium convenissent, interrogabat Rex, *ob quam caussam eum excludere, & regno suo privare niterentur?* Illi autem responderunt, *non se hoc intendere, sed hoc duntaxat efficere, ut Leges patriæ & privilegia, atque libertates, & sua cuique jura servarentur, rogabantque ut judices eligerentur, volentes se super omnibus factis suis in caussa Regis justitiæ & judicio submittere, & nec in minimo juris & justitiæ ordinem declinare.* Quibus Rex auditis, neque eis consuetas libertates & jura concedere, neque judicii examen volebat admittere. Vnde hoc solum ea vice inter eos actum est, ut treugæ essent inter Regem & regnicolas usque ad festum Nativitatis Virginis gloriosæ sequentis æstatis. Iussit autem comburi castrum Stäke / quod tum habebat Iohannes Kröpelin in commissis, timens ne forte Sveci id acciperent occupandum. Conclusum est igitur die B. Martini d treugis firmandis, & quod Præfecti & Officiales Regis, non se intromitterent de tributis levandis, nec ad rusticos accederent. Tunc Rex dimissis in castro & oppido Holmensi DC armatis de exercitu suo, in Daciam remeavit. Sveci vero ibidem congregati antequam dimitterentur ab invicem, statuerunt Dietam celebrare Arbogiæ, in octava Epiphaniæ Domini. Vbi eo tempore congregati, elegerunt concorditer Engelbertum in gubernatorem regni, alios quosdam Capitaneos Contractuum facientes sub ipso, ut in quolibet territorio regni esset, qui prospiceret si quid periculi immineret. Quibus, ut præmittitur, congrega-

gregatis, scripsit Iohannes Kröpelin de Holmis, significans se velle cum eis conferre, rogans quatenus Sigtoniam pro loco conventionis eligerent. Vbi celebrata est Dieta circa festum Purificationis Mariæ, veniente illuc cum Kröpelin Commendatore quodam de Prussia. Tunc præsentes de Svecis, coram Commendatore exponebant singula, unde omnis displicentia & discordia provenissent. In quantis eis scilicet Rex injuriatus fuisset, & quid ipsi in contrarium attentassent, & quomodo caussam suam cum Rege discutiendam judicio obtulissent, nec admissi fuissent. Ad quæ omnia Commendator & Kröpelin respondentes, quasi interloquendo & exhortando suaserunt, attentanda esse aliqua apta & convenientia media concordiæ ineundæ, potiusque judiciale examen, & juris ordinem subeundum. Tunc Sveci ad utrumque se paratos & benevolos exhibentes, desiderabant saltem aliquam viam pacis & concordiæ attentari. Illi igitur mediatores se fideles in hac caussa spondentes, promiserunt se velle Regem accedere, & serio pro concordia laborare. Tunc datis eis ab Engelberto viris, qui eos salvos & securos per regnum usque in Daciam perducerent, iter aggressi sunt, & accedentes Regem cum Consiliariis congregatis, intentionem Svecorum per articulos explicuerunt. Quibus propositis & auditis, Rex traxit Consiliarios in partem, ad habendum mysterium consilii sui cum illis. Inventum igitur est per eos celebrandam esse Dietam Halmstadii, ad quam tam Sveci quam Daci Regis nomine conveniunt. Vbi factâ congregatione, deliberatum est Regem debere redire Holmiam ad festum S. Olai, & ibi caussas singulas, hoc negocium concernentes, fine debito terminandas. Iam enim redierat Archiepiscopus Olaus, quem Rex nullatenus volebat admittere, quem etiam innumeris injuriis lacessivit. Hic accedens cum aliis sibi adjunctis ad Dietam Halmstadensem, pro Rege fidelissime laborabat, nec omnino volebat admittere, quod ei reverentia & potestas regia auferretur. Vnde suâ inductione decretum est, ut haberetur pro rege Sueciæ quoad viviret; Vnde in eadem Dieta Engelbertus & cæteri Sveci, restituerunt ad manus Regis Hallandiam cum civitatibus & castris:

Acta hæc sunt anno Dn. MCDXXXV. circa Inventionem S. Crucis. Interim Engelbertus fecit fodi circa Telgas, pro navibus reducendis, foveam. Adveniente autem termino, quo juxta condicta Rex debuerat Holmiæ adesse, Sveci properanter accedunt, sed quia Rex non ad terminum statutum venerat, clamor attolitur contra eum. Sed ad Dacorum Holmiæ repositorum instantiam, prolongatus est terminus præfixus ad festum Nativitatis Mariæ. Veniente igitur Rege ad terminum illum & Holmiæ pausante, congregati sunt Sveci, & in Iungfruhampn eligunt stationem. Die ergo Nativitatis Mariæ, certos de parte sua cum pleno mandato deputant procuratores, mittentes eos ad monasterium S. Claræ. Deinde domus S. Spiritus, locus colloquendi & placitandi eligitur. Eratque prima & tota instantia Sveorum, ut permitterentur in libertate sua, juxta Leges patriæ antiquas & approbatas, uti bonis suis; & quod deputarentur qui regnicolis justitiam administrarent, juxta quod Rex juraverat tempore coronationis suæ. Rex autem, cui ista gravia erant ad audiendum, multa quærebat diverticula & anfractus. Erat enim tota intentio sua, auferre à regno Sveciæ nomen regni, & eo uti juxta libitum suæ voluntatis, reputans nullos esse debere Consiliarios hujus miserabilis regionis, sicut Romani abstulerunt à Iudæa nomen regni. In caussis enim & negotiis Daciæ utebatur consilio Majorum, & ibi Consiliarios habebat; in negotiis vero & caussis Sveciæ, non Svecos sed Dacos, & Alemannos Consiliarios habebat. Cumque Sueci ad suas cavillationes & euasiones, Leges apertas & juramenta sua publica in contrarium objecissent, versutiâ suâ amplius eos deridens, rogabat eos ut saltem tria castra, scilicet Stockholm/ Calmar/ Nyköping/ quibus vellet, eum permitterent assignare. Quod illi putantes eum petiisse ex animo & sine fraude, humiliter annuerunt, petentes & ipsi suppliciter, ut ipse eis omnem displicentiam remitteret & rancorem, quod & ipse se facere simulabat. Rogant insuper ut duos eis officiales regno omnino necessarios deputaret, Dapiferum scilcet & Marschalcum, ne regnum staret sine justitia & ordine convivendi: tunc mimice, ludicre & jo cu lariter instituit Dominum Christiernum Nilsen Dapiferum, dans ei gladiolum quasi puero; Carolum verò Knutson fecit Marschalcum, dans ei bacu-

baculum album, cum dictum ei fuisset, quod Marschalcus esset per annulum aureum pendentem in baculo creandus atque instituendus, ut essent quasi principes in ludo Schaccorum. Quibus gestis regnum restituerunt manibus Regis, cum castris, civitatibus & munitionibus universis, pro quibus Engelbertus impenderat tot labores. & ex utraque parte juratum est, quod omnia essent utrinque pacata, omnes neglectæ injuriæ, omnia damna remissa, exceptâ captivatione Svecorum per Lubecenses in Oresund/ & ratiocinio Præfectorum, sicque omnia in statum pristinum redierunt. Sed factus est novissimus error pejor priore. Mox enim ut regnum ad suam obædientiam reassumpsit, amotis Præfectis à castris quos instituerat Engelbertns, Consiliariis irrequisitis, tradidit ea ribaldis, piratis, infamibusque alienigenis, pejoribus his qui ob suam tyrannidem erant per Engelberti idustriam depulsi. Quo viso, intelligentes Sveci se esse per Regem illusos, rogabant Consiliarios Daciæ tunc præsentes, ut suaderent regiæ Majestati manere in pactis, ad quæ erat tantâ difficultate deventum. Illi autem, ut voluerunt, negotium Regi indicarunt. De quo Sueci minus bene contenti, cum in persona propria accesserunt, quid erat eis animo indicantes. Quibus ille indignanter respondens adjunxit: Edher Ja. Herre wil jagh icke wara; (*I. e. Vobis assentiri pro vestro arbitrio nolo.*) Et adjecit in properium in hunc modum: *Nunquam Engelbertus hæc mihi damna fecisset, nisi à vobis ad ea inductus fuisset, vos estis qui hæc omnia perpetrastis.* Ex quibus verbis patenter potuit elici, quantum illorum consilia æstimabat, & quomodo omnem displicentiam remisisset. Amoto igitur Iohanne Kröpelin à castro Holmensi, quem Suecis novit rationabiliter inclinatum, tradidit illud cuidam Erico Nilsson de Iuthia, datis sibi de familia propria D. armatis. Sicque discessit ab Holmis, transiens juxta litora Sueorū, & castra regni tradens manibus, ut supra dictum est, tyrannorum, Omnes vero quos de regnicolis attingere potuit, spoliavit, combusto etiam oppido monasterij Vastenensis veneruntque taliter spoliati ad præsentiam Engelberti, suam nuditatem & injuriam flebiliter exponentes. Famaque divulgata per regnum, Regis continuatam & augmentatam malitiam publicavit, statueruntque convenire Arbogiæ, anno Domini MCDXXXVI. die Fabiani.

Et facto ibidem colloquio, scripserunt Regi quod usque ad Carnisprivium, vellent expectare responsa super certificatione de servandis promissis, & damnis post pacta illatis plenarie reparandis; Alioquin sciret se finaliter excludendum à regno, omni homagio, fidelitate & obædientiâ posthabitâ & subtractâ. Audierant enim quod glacie resolutâ venturus esset Holmiam, cum Duce Bugislavo de Pomerania, ut eum regem institueret, sicut & in Dacia attentavit. Interim Sueci cives Holmenses sollicitabant Engelbertum per puncios occulte destinatos ad ipsum, quatenus manum opponeret pro Holmensi oppido acquirendo. Vehementer enim suspicabantur Sueci Holmiæ habitantes, ne eis accideret, quod rege Alberto captivato, accidit concrematis. Verum Engelbertus majus aliquid in hoc facto perpendens, suasit & mandavit omnibus congregatis Arbogiæ, quod abinde non dividerent, sed ex eadem congregatione transirent Holmiam, ad intelligendum intentum Dacorum illic remanentium, qui fuerant intermedij & quasi internuncij in tractatu novissimo cum Rege recessuro celebrato. Considerabat enim quod rem grandem & plenam periculis attentarent, dum Regi per scripta sua homagium & obædientiam subtrahebant, Daci verò oppidum & castrum munitissimum regni ad manus regias observabant; unde curandum putabat, ne eâ parte ingrueret eis bellum. Venerunt ergo per modum exercitus, quotquot Arbogiæ in Dieta fuerunt congregati, ante portas oppidi Holmensis, quorum dum cives sentirent adventum, clauserunt portas, & cucurrerunt ad arma. Quo stupefacti qui advenerunt, & vehementer admirati, jusserunt certis ex eis propius accedere, & caussam hujus eorum exclusionis investigare; Tunc quatuor principaliores eorum, videlicet Engelbertus, Carolus Knutsen Marschalcus, Dominus Gustavus Benktsen / & Ioan Karlsen / signo pacis erecto, accesserunt ad portam, petentes ad se evocari Proconsules civitatis. Ad quos egressi duo Proconsules Alemanni, & interrogati cur eos à loco excluderent, cum cives eorum liberi, quo vellent, per regnum discurrerent? Responderunt se colloqui velle desuper cum Domino Erico Pitsen / qui castrum nomine Regis habebat. Inde reversi duo, rogabant eos

pau-

paulisper tardare, eo quod exspectarent adventum Iohannis Kröpelin / dicentes quod D. Ericus Nilsen nihil, nisi in ejus præsentia, vellet tractare cum Suecis. Proconsules igitur iterum ingressi, longos inter se fecere tractatus, Sveci vero exclusi se fidentes in equis, multas molestias tempestuosi aëris sustinebant. Egressi autem Rroconsules tertiâ vice, dixerunt se nullam habere commissionem à Rege de eis intromittendis. Interrogati tamen denuo, anne eis liceret intrare? Responderunt quod hac vice non forent admittendi. Tunc callide signo pacis suppresso, quia promissum erat Proconsulibus exire, & ad suam securitatem redire, ad quam binâ vice redire permissi fuerunt, iterumque sine nova assecuratione egressi, apprehensi sunt & captivi abducti. Miles autem ille Ericus Nilsen portas faciens obserari, festinavit ad castrum, turribus munitis præsidio satellitum Danicorum, qui magnos exinde in Svecos faciebant insultus. Accurrentes autem ad portas quidam civium, securibus & clavis seras confregere portarum. Tum quia illud videbatur indignum, quod sine civium scitu aut consensu, Daci excluderent Svecos à civitate Svecana, maxime Consiliarios regni, & eos, quibus Rex commiserat regnum in sui absentia gubernandum; tum quià non aliud eis constabat, quam quod omnia essent in optimis punctis inter Regem & Consiliarios antedictos: tum forte quia justo metu in constantem virum cadente impulsi, cogebantur vitæ suæ sospitati providere, ne quod prius Suecis in eo loco contigerat, extraneis prævalentibus, eis etiam inferretur. Et Nobiles qui advenerant, de sua exclusione commoti, impetum faciebant in portas, & hac violentiâ confractione potenter intrabant, non obstantibus crebris ictibus lapidum, & sagittarum à turribus emissarum. Tunc erectis velis in foro, jubent cives convenire in unum. Qui ab eis interrogati, utrum vellent cum regno manus dare? Omnesque id una voce affirmant. Dato igitur mandato, ne quis civibus molestias præsumat inferre, Dacos ejiciunt à turribus civitatis. Necessariis igitur præsidiis per oppidum universum firmatis, Capitaneo castri Domino Erico Nilsen Daco dirigunt scripta sua, interrogantes in eis cur eos venientes ictibus balistarum,

& bombardarum exceperit, cum ipsi ob nihil aliud venerint, quam ad conferendum & conquerendum de non servatis per Regem articulis, in quibus concipiendis, proponendis & stabiliendis, ipse cum cæteris Dacis fuerat mediator. Receptis autem scriptis hujusmodi, idem Ericus Nilson cum Dacis sibi adjunctis, nihil rationabile respondere curabat, sed diffidatoria scripta comminationibus plena mittebat, protestans expresse quod ubicunque posset Svecis damna inferre, diu noctuque curaret. Audientes ergo Sveci illos contra se in malitia obstinatos, statuerunt in oppido remanere, & castrum obsidione ligare. Divisis igitur turmis, ante mœnia castri machinas & cætera instrumenta bellica paraverunt. Erant autem duo quibus tota cura obsidionis, ex aliorum commissione, incubuit, scilicet Carolus Canuti & Ericus Puke militaris, vir strenuus, quorum unus ab occidente, alius à meridie impugnabat. Erat etiam in eo loco Dominus Olaus Archiepiscopus Vbsalensis, cum egregia turma satellitum pugnatorum, quos referunt fuisse CCC. quorum Capitaneus erat Darolus Magnuson Miles, multaque & magnifica isti dicuntur egisse. Engelbertus autem curam gerens principaliter Reipublicæ, regnum circumivit, & sicut prius castra regni, quæ Consiliarij Regi restituerant, recuperare curavit; eo quod contra juramenta sua Rex tradidisset ea alienigenis, sine consilio & consensu Consiliariorum regni, & nequioribus tyrannis, quam unquam ante hæc tempora fuerant assignata. Egressus ergo Engelbertus cum exercitu de Holmis, accessit Nycopiam, & convocatis illic Sudermannis, castrũ fecit per eos, datis principalibus, firmissime obsideri. Vbi præcipuus erat Hermannus Berman / animosus, sed minus circumspectus. Inde transiens Engelbertus Sudercopiam, convocat illic Ostrogothos, faciens per eos obsideri Stekebergh / præsidente quodam Erengis lone; Stekeholm verò obsident Tiusboenses, principe Böetio Knutson. Progessus inde ad Calmariam, negato sibi introitu, posuit custodes in Kleckenburg / Nicolaum Stenson / Dn. Godscalcum Benchtsen / & D. Gustavum Larensson. Interim vero servi Nicolai Stensson callide obtinuerunt castrum Brymshuus. Inde progressus Engelbertus intravit Blekingiam, & cum venissent ad pontem Stilebro / observabant meatum & pontem Blekingenses,

genses, & cives de Rotneby. Visâ autem potentiâ Engelberti cæperunt pontem diruere. sed equites Engelberti præcipitanter accurrentes, ne pontem tollerent, prohibebant. Transgressus autem pontem, cum hostes fugerent, signo pacis erecto, revocat fugientes,& facto colloquio, omnes ei obædientiam præstiterunt. Intrans ergo oppidum Rotnebij, brevi pausâ factâ ibidem, præfecit oppido Capitaneum quendam Claudium long / indeque progressus transivit ad Lagaholm/ ubi convenerunt in unum Smalandenses & Vestgothi. Firmatâ igitur obsidione castri illius, principibus Boetio Milite, & Svenone constitutis, assumpto exercitu reliquo ad subjiciendam Scaniam properabat. Sed congregatis in prælium Scanensibus, ductor eorum Petrus Oxe Engelberti impetum arcere conatus est. Vterque igitur exercitus ad transitum communem, qui erat per pontem Rynebro, festinabat. Dum autem equites præcursores exercitus utriusque, juxta pontem præfatum sibi invicem occurrissent, veriti sunt servi Petri Oxe à facie servorum Engelberti, atque in fugam versi, ad Dominum suum præcipites pervenerunt. Captivatus autem unus eorum nomine Canutus Saxtorp, certificavit Engelbertum de grandi exercitu Petri Oxe. Quo intellecto Engelbertus suum retraxit exercitum, & per pontem retroire mandavit, pontemque post transitum dissolvere. Quod cum audisset Petrus Oxe, conversus inde cum suis festinabat ad Tranarpawad. Quod & Engelbertus suspicabatur,& præveniens illum vadum præoccupans observabat. Ab utraque igitur ripa fluminis, exercitus duo è regione pausabant. Firmatis igitur treugis inter Sveciam & Scaniam, hoc quoque in pactum adductum, ut nisi Engelbertus ante vigiliam Paschæ obtineret castrum Lagaholm/ex tunc dissolveret obsidionem & castrum dimitteret inturbatum. Die igitur Cænæ Dimini dum litteræ pacis conficerentur, Engelbertus transiit ad Lagaholm/& eo obtento reversus est. Tunc divertit ad Halmstad / & oppido accepto, transiit ad Wardbergh / & eo obsesso, & capitaneo Domino Brodero Swenson ibidem constituto, tendebat ad Elfswisberg / ubi hoc cum præfecto, dicto Matthia Kale tunc actum est, ut ille nihil acciperet de reditibus consuetis nec de feudo se intromitteret, aut aliquid acciperet nomine & ratione tributi. Post hæc descendit ad Axewald/& obsedit illud, ibique

ibique decidit in lectum ægritudinis, eratque languor fortissimus, propter quem, ut potuit, inde ad Orebro devectus est. Erat etiam in regno Miles quidam Dominus Benedictus Stenßon/adversus quem Engelbertus indignationem conceperat, pro quadam, ut creditur, perfidia in regni negotio, habens filium nomine Magnum Bendhtßon. Hic comperto quod Engelbertus esset infirmus, & quod venisset ad Orebro in ægritudine constitutus, cum haberet Curiam non longe distantem ab Oerebro, dictam Gidzsholm/ accessit ad eum in dolo, vocans eum de castro in oppidum Oerebrogense, & interrogans utrumne posset securus in regno subsistere, asserens se velle coram Consiliariis regni juri stare, & ad omnem justitiam respondere? At Engelbertus virum commendat, suique amorem spondet, invitat & amanter pertractat, sicque in bona concordia ab invicem separantur. Et cum Engelbertus à Consiliariis vocatus iturus esset Stocholmiam, dicunt quidam eundem Benedictum suasisse ut navigio iret, cum haberet ille suam Curiam secus stagnum. Delatus ergo Engelbertus ad navim, applicuit pro quiete nocturna in insulam non longe distantem à Gidzholm / & continuo supervenit in insulam Magnus Bendhtßon, filius ejusdem Domini Benedicti cum suis. Quem Engelbertus benigne suscepit, stans innixus baculo. Ille vero filius Belial, ut lupus in agnum sæviens, securi eum appetiit præacutâ. Cum vero ille baculum objiceret, abscidit ei tres digitos. Avertente autem se ab eo Engelberto, secutus est eum cum securi, dirum vulnus collo ejus infligens. Cum vero ad ictum hujusmodi rueret Engelbertus, caput ejus lapidi illisum est, quod ille multis ictibus & tunsionibus comminuit super lapidem, quasi in mola, ac deinde sicut erinacium, sic eum sagittis implevit. Occisum autem inhumanissime spoliavit, uxorem & servos quos secum habebat, captos incarcerat & tormentis affligit. Quendam autem eorum dictum Albertum Pecchâra, coëgit secum adire castrum Oerebro, ut per eum, & quasi nomine & in negotio Engelberti in tenebris intromissum etiam fortalitium illud, quod solum de omnibus castris regni, quæ recuperaverat Engelbertus à tyrannis, usibus suis deputavit, homicida ille, imo & parricida, qui regni fidelissimum patrem tam truculenter occidit, nec

dum

dum sanguine satiatus & rebus fortissimi viri, fraudulenter invaderet. Frustratus autem intentione per prudentiam custodis castri, intravit oppidum Oerebro, omnia quæ Engelberti essent, & servorum ejus quæ reperire poterat, auferendo, & cum patre suo hujus tanti flagitij conflatore, ad castrum Ringstadholm fugiendo. Sicque ille vir strenuissimus, animoque fortissimus, & regno Sveciæ fidelissimus, qui erat semper paratus mori pro civibus, à civibus est occisus. Mirum autem quod paucis inde elapsis diebus, Carolus Knutson *Marschalcus*, qui regnum post eum gubernabat, per omnes regni provincias scripta direxerit & mandata, ne quis inquietaret Magnum Benchtson qui Engelbertum occiderat, non desamaret, aut eidem detraheret, aut mortem Engelberti quomodolibet imputaret; Cum omnes haberent pro certo, nunquam illum posse supervivere, qui talem Principem abstulisset à vita, per quem tantum utilitatis & libertatis tam Nobiles quam Plebæi omnesque regni incolæ assecuti fuissent. Anno autem Domini MCDXXXVI. feriâ VI. ante Inventionem S. Crucis occisus est Engelbertus. Post mortem Engelberti, assumptus est in generalem & unicum provisorem & gubernatorem regni Carolus Knutson *Marschalcus*, qui etiam vivente Engelberto cum eo cæperat, ex Nobilium electione ipso consentiente, regnare. Hic accepta regnandi occasione; secutus est Erici regis antedictas astutias proverbio usitato: *Vltra mensuram lodicis non rege suram.* Cæpit enim pro se quidem prudenter agere, & ad suimet ipsius conseruationem & profectum temporalem animum dare, proventus quidem & obventiones regni parcissime distribuebat, omnia pene, quæ tributi ratione provenire poterant, suis usibus reservando. Hoc enim modo se potentem faciebat, dum omnes satellites, clientes, stipendiarii, propugnatores, & quorum officia Principibus sunt necessaria, ad eum confugerent qui potens esset eis largiri stipendia. Sed & veredarij constituti sunt, qui occulte svaderent aliorum clientibus Dominorum, ut ad Marschalcum confugerent, qui plenâ manu stipendia tribuebat, relictis his, qui etiam pro seipsis cogebantur mendicare. Sic per omnem regionem discurrentes, & magnificentiam gloriæ hujus Principis

cipis prædicantes, attraxerunt multitudinem copiosam, ut Ericus Puke diceret ei in faciem: Carll Knutson / kalla heem tina spöffuare / the locka bort alla mine thiänare. (I. e. *Carole Canuti revoca domum tuos exploratores, qui à me seducunt omnes meos ministros.*) Cum autem majores & superiores Milites regni, conquererentur se non sufficere providere clientibus, & sustentare familiares suos, eo quod modicum, aut nihil haberet in auxilium de Corona; prudenti sed versuto respondit consilio, quod plures non assumerent, quam sustentare valerent. Idcirco multi cœperunt se ei opponere, & etiam publice adversari. Et primo quidem præfatus Ericus Puke, qui Engelberto fuerat familiaris, prædilectus & in societatem conjuratus. Hic fecit occulte rusticos sollicitari, ut ipsi in sublimationem & principatum ipsius unanimiter acclamarent. Finaliter autem accessit in Valles, & inde aliqualem eduxit exercitum, cum eo perveniens usque ad sylvam quæ dicitur Hellestogh. Vbi eidem occurrit Carolus Knutson Marschalcus, cum exercitu educto de Holmis, ex civitatibus & familiaribus Episcoporum, & Nobilium collecto. Et bello ibidem commisso, & Caroli exercitu paulum retracto, de pace tractatum est, ut Ericus Puke veniret Arosiam, cum Marschalco & Consiliariis regni locuturus, de ejus securitate quibusdam Episcopis & aliis magnis viris fidem facientibus, & eum certum reddentibus de reversione salva & indubitata ad suos. Svadentibus autem familiaribus & amicis, ne se crederet manibus æmulorum, non acquievit eorum consiliis, asserens se non posse nisi inter Nobiles & Dominos regni honorifice conversari. Confidens ergo in his quæ dicta sunt ei, accessit cum paucis Arosiam. Venit autem cum eo Iohannes Martini, qui quasi Collega suus, vehementer sollicitabat indigenas in fauorem & partem Erici. Conveniunt igitur ad tractandum de pace in stuba Conventus Prædicatorum. Attento autem quod Ericus Puke animose & incaute loqueretur, ut capi posset in sermone, factus est in stuba ipsa fumus nocivus, quem sustinere non possent. Vnde placuit Majoribus inde recedere, & in castro reliquum habere tractatum. Quod Ericus non perpendens, loquebatur ut prius, ex animo effundens quod habebat in corde, & sermonis audaciam non refrænans. Acceptâ ergo

ex

ex verbis ejus occasione, captus est & missus Holmiam Dapifero Domino Christierno Nilson / & ab eodem capite est truncatus. Ferunt autem tam in ejus captivatione, quam decapitatione, Dominum Archiepiscopum Olaum expressum præstitisse consensum, & utrumque suasisse. Propter quod toto tempore, quo supervixit, quod & breve erat, abstinuit à mysterio altaris, mittens ad Dominum Apostolicum Dominum Martinum Kröpet pro restitutione aut dispensatione. Quem ante mortem Domini Archiepiscopi puto non fuisse reversum. Captus est etiam cum eodem Erico præfatus Iohannes Martini & apud castrum Arosiense rotatus. Dominus autem Thomas Episcopus Stregnensis, qui unus erat fide jussorum, totâ vita sua affligebatur animo, & vehementer indoluit, seque velut infamen habebat, pro eo quod ita deceptus est, pro quo, ne ille deciperetur, fidem fecit. Eo tempore captus est Jösse Erichson in claustro Vadstenensi, à rusticis de contracta Asselharad / & in Placito Motalensi morti adjudicatus, & securi decapitatus. Propter quod Marschalcus rusticos illos immitissime talliavit, non quia mortem doluit sic defuncti, sed ut timorum incuteret faciendi talia. Nihilominus Vermelandenses & Vallenses, quosdam Præfectos Marschalci eo tempore occiderunt, quorum unus erat Benedictus Gunnari. Alij similiter rustici minaciter contra Dominos insistentes, multum contumaciter se gesserunt: Sed Marschalcus eorum audaciam & præsumptionem sagaciter reprimebat, in eos, qui deliquerant, pœnis debitis vindicando, licet multi Consiliariorum eum ab hoc avertere niterentur; quorum erat præcipuus Dominus Christiernus Dapifer, qui vulgi communitatem sibi putabat velle attrahere, & Marschalco principatum auferre. Multo tamen tempore sub specie amicitiæ sunt ad invicem conversati Dapifero vocante Marschalcum filium, & tanquam juniori consilia in singulis dante, licet forte minus expedientia. Ille autem eum petrem vocans, & nihilominus sentiens ad quem finem tenderent data sibi per eum consilia, caute dissimulabat. Intellecto tandem quod Dapifer Christiernus, cum quibusdam aliis, Regi vellet assistentiam facere & homagium præstare, aut quæ erat alia caussa non adverto, cum esset Dominus Christiernus in curia sua Rewelstadh / toto festo Natalis Domini con-

constitutus, circa Octavam Epiphaniæ misit satellites suos Marschalcus capitaneo quodam Claudio Lang constituto, ad Dapiferum captivandum. Scripsit autem ei epistolam hujus effectus: *Dilecte Pater noveritis me esse in Skeninge, aut in tali loco. Si autem vobis aliquid acciderit, ibi me invenietis.* Lator vero hujusmodi litterarum, armatos prædictos modico intervallo præveniens, & scripta Marschalci horâ electâ præsentes, mansit in Curia Rewelstadh usque ad noctis tenebras, & usque adventum se sequentium armatorum, observans ne portæ clauderentur, aut clausæ in eorum adventu aperirentur. Ingressi igitur, clanculo divisi per turmas, accurrunt velocius ad locum, ubi Dominus Christiernus ipsâ horâ cum uxore se collocaverat dormiturum, nudum eum capientes de lecto, & spoliatum rebus & pecuniâ apud eum repertis, in vehiculum semi nudum detruserunt. Alij vero festinantes ad stubam, invenerunt familiares ejus ducentes in bonis, more talium, dies suos, ebrietati & crapulæ canticis intendentes, & nec suspicantes quidquam adversi, aut aliquid sinistri. Quos ad manus Marschalci captivantes, quosdam etiam occiderunt, quorum erat unus Torstanus Ioannis vir nobilis & procerus, & magnæ inter Aulicos honestatis. Captivatum ergo Dominum Christiernum, & vinctum duxerunt festinanter Arosiam, & consequenter ad Oerebro, ubi occurrens Marschalcus, interrogabat *an vellet ei tradere castra quæ habebat?* Ille vero malorum hujusmodi inexpertus, respondit *se nedum castra traditurum, sed omnem voluntatem ejus in omnibus impleturum.* Statim ergo Marschalcus Nycopiam properavit, vinctum suum pariter secum ducens, evocatisque ad se uxore & filio Domini Christierni, sic actum est, ut die sequenti castrum traderent exigenti. Castrum autem Wyborg permisit eum retinere ad tempus, quod etiam tenuit pene usque ad mortem, & facti sunt amici Dapifer & Marschalcus. Tertius erat quidam Nicolaus Stenson, gener ipsius Marschalci, sororem ejus habens uxorem, qui eidem Marschalco multum infestus, eum, ut potuit, impugnavit. Habebat autem castrum Stekeborg, faciens inde spolia, latrocinia & violentias infinitas. Sæpius vero mediantibus Nobilibus regni, ad amicitiam Marschalci & concordiam revocatus, nullam fidem aut promissa servavit. Multis in suis tractatibus placitando illusit, sæpissi-

sæpissimèque perjuravit, & coactus tandem firmissimâ obsidione, egressus regnum festinavit ad Regem in Gotlandia constitutum. Atque ab eo creatus per regnum Suecorum Marschalcus, accepitque ab eo C C. armatos, cum quibus in regnum reversus, deferebat ubique vexillum Danorum Danabroka, & per totam penè Ostrogothiam consuetam violentiam faciebat. Continuatis igitur hujusmodi violentiis & rapinis novem hebdomadis, misit Marschalcus expeditos vernaculas suos ad tyrannos illos compescendos. Qui eos aggressi in ponte quodam inter Sudercopiam & Norcopiam, fugientes insequuti sunt usque in proximiorem villam. Vbi facto conflictu, captus est Nicolaus Stenson cum suis, & delatus Norcopiam dieque tertiâ expiravit. Familiares autem sui Sudercopiæ quàm plurimi sunt capite truncati. Hoc tempore Norici ad scripta Regis obsederunt Elwijborgh / ducibus Olao Bock, & Iohanne Wynreise. Sed accidente Marschalcum Turone fratre suo, qui castrum Elwisborgh habebat in custodia, datisque sibi C C. marcis cum auxilio VVestgothorum, ita sunt Baggones ab obsidione fugati, ut non invenirentur duo pariter, multis illorum occisis, & plurimis captivatis. Erat hoc tempore Miles in Suecia quidam egregius, strenuus, elegans, procerus, & in rebus bellicis & actibus militaribus peritissimus, nomine Broderus Swensson; qui in divisione & distributione feudorum, castrorum & redituum, proventuumque Coronæ neglectus & exclusus, ægrè tulit se esse despectum. Habebat autem familiam multam, & viros in sua familia bellicosos, multosque labores impenderat in obsidione castrorum ad imperium Engelberti, spem habens promissionis & prævisionis à regno. Quem puto hac de caussa à promissionis gratia derelictum, ut defectu necessariorum vitæ & præ inopia familiam dimittere cogeretur, sicque minùs à Principante in regno timeretur. Hic egressus Sudercopia post celebratam ibidem dietam, jussit suos se expectare in campo, ut ipse interim rediret in locum, & Marschalco quidpiam loqueretur. Reversus est itaque, & inveniens Marschalcum cum quibusdam potioribus regni colloquentem, verbis quibusdam minacibus dixit Marschalcó, quòd distribuisset feuda regni juxta favorē & acceptationem

personarum, statimque ad suggestionem cujusdam apprehendit eum Marschalcus, & die sequenti summo mane facit eum decapitari. Dum autem ea, quæ præmissa sunt, agerentur in regno, multæ sunt in diversis locis celebratæ dietæ, & plurimi tractatus in caussa Regis & regni, tum inter regnicolas, tum cum Dacis, & Legatis civitatum Stagnalium, tum cum privatis nunciis nunciis ad Regem directis, & ab eo receptis. Nec poterat ipse Rex mediis quibuscunque ad hoc trahi, vel modis aliquibus inclinari, ut regnum Sueorum, & incolas in suis juribus & legibus sineret gubernari. Nilhilque aliud poterat ab eo precibus obtineri, intercessionibus impetrari, aut minis extorqueri, quam quod regnum per tyrannos extraneos gubernaret. Laborabat nihilominus D. Olaus Archiepiscopus Vbsaliensis pro viribus extremis, ut rex Ericus quoad viveret honoraretur pro rege, & ei tanquam vero regi obædientia servaretur. Ad quod rationibus, monitis & minis, Nobiles & regni Consiliarios efficacius inducebat. Propter quod, adjunctis sibi quibusdam Episcopis & Militibus, transivit usque Lundiam eâ intentione, ut Regem secum adduceret in regnum, & restitueret in pristinum gradum & regium principatum, contentum de eorum comitiva, & Sueorum in regno famulatu. Pausantes ergo longo tempore Lundis, miserunt ad Regem honorabiles nuncios & solennes, Dominum Magnum Episcopum Aboënsem, & Iohannem Kröpelin / virum fidelissimum Regi ipsi, significantes ei per ipsos propositum quod habebant; Sed nihil responsi accipientes ab eo, auditâ ejus tyrannide, quâ etiam tunc in Dacia cæpit insanire, recedentes à Lundis, velociter ad patriam sunt reversi. Introduxit enim in Daciam Ducem Bugislaum de Pomerania, cum quibusdam aliis Alemannis, ut faceret eum regem. Putabat enim se posse eum regem constituere trium regnorum, sicut ipse fuerat per reginam Margaretam institutus. Vnde receptis quibusdam castris in Dacia de manibus Dacorum, assignavit ea eidem Bugislavo, multam in Dacos, ut prius in Suecos, tyrannidem exercens. Propter quod Sueci statuerunt finaliter ab eo recedere, & nunquam ei obædientiam & reverentiam regi debitam, exhibere, citantes eum in dieta Telgensi ad Morasteen sub termino XII. hebdomadarum, litterasque citationis hujusmodi per manus fidelium

delium nunciorum ad ejus aspectum venire fecerunt. Finaliter autem quia Archiepiscopus mitè se exposuit pro Rege, omnia remissa sunt & suspensa ad dictam Calmarnensem. Quam & Rex, & Sueci & Daci celebrandam statuerunt, decreverunt, & elegerunt quasi œcumenicum concilium in negotio trium regnorum, & regis Erici. Consiliarij ergò Sueciæ, tempore statuto se disponentes ad iter, illuc ire cæperunt, & aliqui pertigerunt. Archiepiscopus enim illuc iturus, obijt Nycopiæ intoxicatus in lacte amygdalarum, sibi à quodam principante in regno feriâ sexta pro ferculo precioso transmisso. De Dacia vero pauci venerunt, id solum in commissis habentes, ut Sueci desisterent à petitis à Rege, & eum, sicut olim, in Dominum retinerent, nec sperarent suis aliunde se libertatibus, juribus aut legibus gavisuros. Illi veró responderunt se libenter illum habituros pro rege, si apud eos manere eligeret, & eis in regno alienigenas non præferret. Sicque inde divisi infecto negotio, singuli in suam reversi sunt regionem. Aliquanto autem inde elapso tempore, Rex venit ad Stäkeborgh / multis scriptis & nunciis Marschalcum ad se vocare pertentans; Sed ille Nycopiam accedens, astute declinavit astutias, significans se nihil posse tractare cum Rege, eoque regni Consiliarij non adessent. Quo in loco Rege pausante, venerunt ei scripta Dacorum de homagio & obedientia finaliter & ultimate subtractis. Iám enim omnem thesaurum à Dacia exportaverat, & regnum exposuerat tyrannidi, & vastatori Bugislavo. Tunc rex in Gothlandiam festinavit, & pirata factus ex rege, multo tempore latrocinia exercens, regnum Sueorum gravissime affligebat. Mirum autem, quod cum idem rex Ericus, multorum annorum curriculis regna ista gubernasset, & multa mala multimodè perpetrasset, nunquam à sua deciderit potestate, donec Ecclesiam Vbsalensem suâ injustitiâ molestasset, & jus eligendi Archiepiscopum impedivisset, & quendam indignum Archiepiscopali nomine intrusisset. Mortuo enim Domino Iohanne Haquini Archiepiscopo Vbsalensi, qui obijt anno Domini MCDXXXI. electus est canonicè, ritè, concorditer, & omni juris ordine servato, Magister Olaus Laurentij Præpositus Vbsalensis in Archiepiscopum Vbsalensem. Sed rex Ericus huic electioni; & hujusmodi Archi-

Archiepiscopi promotioni in tantum se opposuit, ut clamor in cœlum posset attolli. Nec solùm sub hoc venerandissimo patre Archiepiscopo, Ecclesiam Vbsalensem inhumanissimè perturbavit, sed & sub toto decursu regiminis sui, eam quantum potuit humiliavit, & suo jure ac libertate privavit. Post obitum enim Domini Henrici Archiepiscopi Vbsalensis, quem regina Margareta viventem more suo diligere videbatur, sed mortuum spoliavit, electus est canonicè Dominus Andreas Præpositus Vbsalensis. Sed cùm Rex adhuc esset novellus in regno, & apertè contra justitiam & Ecclesiasticam libertatem, mox in introitu facere vereretur, Regina suâ versutia supplevit, quod ille publicè timuit attentare. Blandimentis enim suis hunc Electum circumveniens, intrusit eum in Ecclesiam Stregnensem. Cui illusioni & intrusioni ille consentiens, dictus est Andreas Smeck. Sicut rex ille, quem pater hujus Reginæ de Scania, Gothlandia Oelandia, & de litteris, de matrimonio filii, & de relegatione Consiliariorum regni, & de cæteris sui pessimi regimenti, callidissimè circumvenit. Vnde facta sunt in Ecclesia Stregnensi, imò tota Suecana Ecclesia scandala gravissima. Resistente enim Capitulo Stregnensi cùm eorum Electo, huic intrusioni & intruso, facta sunt bella dissensionis & scandala supra modum. Dùm verò hæc agerentur cum eodem Smekone. non dormitavit hæc Regina & nepos suus Rex præfatus, in promotione sui Daci à se electi, ad Vbsalensem Metropolim. Quem ad hanc dignitatem à Domino Gregorio XII, paucis diebus postquàm Domini Cardinales ab eo in civitate Lucana recesserant, provehi impetrarunt. Hic factus hoc modo Archiepiscopus Vbsalensis, tanquàm Præfectus Regis ita sese de temporalibus intromisit, regalia tributa colligens & extorquens, cleroque suæ diœcesis, & colonis Ecclesiarum & clericorum gravis & importabilis erat, nimia hospitalitate & axactione. Capitulares suos contemptui & vilipensioni habuit, tàm in consiliis, quàm conversatione & allocutione. Cum mulieribus nobilibus multam conversationem & familiaritatem habuit, propterea que gravissimè insamatus. Hunc Domini Capitulares tàm scriptis, quàm vivæ vocis oraculo multipliciter & multotiens avizabant, & paternaliter ac fraternaliter,

& filia-

& filialiter sæpiùs informabant, ut patet in multis eorum missivis ad eum directis. Ex quibus etiam perspicuum esse potest, quantum Capitulum Vbsalense pro clero suæ diœcesis laborabat. Ortâ tandem contra eum gravi infamiâ, Regis quoque contra eum animus vehementer accensus est, & displicentia magna. Vnde tam per Regem, quàm per Capitulum impetratus est in caussa sua judex delegatus Archiepiscopus Rigensis. Qui propterea veniens Holmiam, & caussam examinaturus eandem, legitimè processit, & caussâ relatâ ad Papam, privatus est idem Dominus Iohannes Gerekini Archiepiscopatu Vbsalensi, & in carcerem Regis intrusus. Elapsus autem è carcere venit in Islandiam, factusque Episcopus Scalatensis, ubi à rusticis diœcesis ejusdem fuit crudelissimè interemptus. Quo autem deposito à sede Metropolitana, electus fuit per Capitulum Dn. Iohannes Haquini de Vastenis, Ordinis S. Salvatoris, eò quòd esset Confessor & pater spiritualis ejusdem Domini Regis, & ab eo multum dilectus. Quem non elegisset Capitulum Vbsalense, si eligendi potestatem liberam habuisset. Sciebant enim Regis animum, hujus Domini Iohannis promotionem immodicè anhelare. Vnde hoc modo vexationem suam redimentes, cum dies mali essent, Ecclesiæ consuluerunt indemnitati, & regiæ satis fecerunt voluntati. Erat enim ille devotus, modestus, & prudens, morosus quidem in factis suis, sed & sani consilii ad omnia occurrentia, sciens invenire responsa & consilia opportuna, qui & Regem tempore suo pro magna parte consiliis dirigebat. Hic de mandato Apostolico, mutato habitu ordinis, portavit habitum Canonicorum Regularium; Erat enim ordinis S. Birgittæ Vastenensis. Ipse ædificavit Vbsaliæ domum lapideam novam in Curia Archiepiscopali & tandem morbo lepræ confectus, obiit quasi subitò in officio visitationis, anno Domini M C D X X X I. V. idus Feb. Defuncto autem Iohanne Haquini Archiepiscopo Vbsalensi, electus est concorditer, ritè & canonicè Dominus M. Olaus Laurentii Præpositus Vbsalensis, homo seriosus, juris peritus & magnæ prudentiæ. Hunc rex Ericus in tantum persequebatur, ut quandiu Rex haberet obœdientiam in regno, nullâ viâ posset Archiepiscopus egressus, licet confirmatus, & in caussa sua justissimus, in regnum

 redire,

redire. Persequebatur enim eum in Romana Curia, & in sacro generali Concilio, quotidiè contra eum scribendo, & aliorum scripta, puta Imperatoris, Regum, Principum, & omnium Episcoporum trium regnorum suorum, & inferiorum Prælatorum, & Capitulorum incessanter contra eum dirigi procurando, cogendo, præcipiendo, & infinita mendacia in eum dictando, ita quòd vix visum, vel auditum fuerit, contra alicujus Archiepiscopi electionem aut confirmationem, aut promotionem tot adversarios concurrisse. Vndè & Apostolicus tot pulsatus instantiis, tentavit eundem Archiepiscopum ad aliam quamvis Ecclesiam promovere. Sed & penè totum Collegium Cardinalium, excepto Domino Navarrensi, cum adversariis sentiebat. Sed ille, ut Deo confidens, absque terrore erat; nullis enim minis, nullis promissionibus, persuasionibus, cavillationibus, vel inductionibus flecti, poterat à justitia & jure suo. Prosequebatur etiam eum in patria, & omnes suos, maximè venerabile Capitulum Vbsalense, & ipsam Ecclesiam Metropolitanam, intrudens in Archiepiscopatum quendam Arnoldum Clementis, & omnes Curias, cum juribus, reditibus, obventionibus, cæterisque ad mensam, & Archiepiscopum spectantibus violenter arripiens, & hoc intruso miserabiliter defuncto, & divinam ultionem patenter experto, non destitit Rex à tyrannide & persequutione injusta. Adjecit enim & alium quendam Torlacum intrudere, qui aliquanto tempore Regis exequens tyrannicè voluntatem, cognitâ dissensione in regno fugam paravit. Furtivè autem ablato pollice S. Erici; tempestate sævissimâ diutissimè arrestatus, reatum cognoscens sacras remisit cum honore Reliquias, & mox quò voluit, permissus est navigare. Et hic quidem Bergis à mercatoribus est occisus. Hic Dominus Olaus, die qua electus est, iter arripuit pro sua confirmatione obtinenda, transiens per Finlandiam & Livoniam, per multa viarum discrimina. Et obtentâ Romæ confirmatione & Pallio, reversus ad Lubeck, intelligensque obstinatissimam regis voluntatem, acceptisque à Domino Magno Episcopo Aboënsi C. nobilis Anglicanis mutuò, regressus est ad Vrbem, suam caussam & justitiam defensurus. Quam adeò strenuè defensabat, ut ne in minimo quidem declinaverit, agente Rege

& omni

& omnibus qui suo intuitu cogebantur & volebant facere, juxta ultimum posse suum.

Tribulavit interim Rex Ecclesiam Vbsalensem, Capitulum & clerum, & quidquid ad Vbsalensem Metropolim pertinebat, scriptis minacibus, tyrannorum suorum intrusionibus, redituum exactionibus, mandatis intolerabilibus, & aliis vexationibus infinitis. Littera verò Capituli facta ad Regem de electione Domini Olavi ejusmodi est.

Wår ödmiuka tiänst / och innerlige Böner tilförenne: Nådugе Herre/och Högboren Furste/ kungörom wy Eders Nåd/ at wår wårduge Herre och Fader Erkiebiskop Jöns är afliden/ Gudh hans Siäl nåde: Och effter thet wy offta aff honom hördt haffuem / at Edher Nådh haffde honom loffuat / tå han sine Biskops Messo sång när Eder Nåd/ at når han affskildes/ tå willen j engte hindra hans willia i Kyrkione försörielse: Och nu litet för än han afled / tå sode han thet samma / oc befalte os Kyrkione föresee / och wälia then som oss tyckte kyrkione nyttoger wara: Så haffuer Kyrkione förseedt och waldt wår Domprost M. Oloff Laurentzson i hans stadh: Ty sendom wy til Edhers Nå wår Deken och Herra Niclis Rigwardi wan Samkanick/ med thetta föreskreffne ärende / bediandes Edhra Nå · med alla ödmiukheet / at j före Gudz skul / S. Erikz oc kyrkione bystånd/ vnnen thet til goda som giordt är: Oss heppas at thet är Gudh täckt / och framdeles skal Edra Nåd wäl täckies / når j Mannen vthrönen: Wy wetom at Edher Nåd haan fori alredhe vthrönt haswen: Han haffde giärna sielf til Edhers Nåd farit / uthan han reddis at Siönskulle farlöß warda / och effeligare än han nu är / Ty faar han öffuer til Påwens gård / tröstande vpå thet Edhers Nåd loffuat hade wårom afledhom fader. Här mz befallen wy / 2c. Scriptum Sabbatho, &c. anno &c. LXX.

Rex verò infra quatriduum certificatus aliundè de morte Archiepiscopi, rogavit per secreta postulari in Archiepiscopum, Dominum Thomam Episcopum Stregnensem, adjungens quòd si quem eligerent, aut reciperent præter velle ipsius, scirent eum sibi, & Ecclesiæ ubilibet adversari. Rescripsit autem Capitulum, quòd cùm aliàs fama fuisset, Dominum Archiepiscopum Iohannem esse defunctum, & mentio fieret de Domino Thoma Episcopo in Archiepiscopum assumendo, evidenter apparuit eum nunquàm ad hoc

redire. Persequebatur enim eum in Romana Curia, & in sacro generali Concilio, quotidiè contra eum scribendo, & aliorum scripta, puta Imperatoris, Regum, Principum, & omnium Episcoporum trium regnorum suorum, & inferiorum Prælatorum, & Capitulorum incessanter contra eum dirigi procurando, cogendo, præcipiendo, & infinita mendacia in eum dictando, ita quòd vix visum, vel auditum fuerit, contra alicujus Archiepiscopi electionem aut confirmationem, aut promotionem tot adversarios concurrisse. Vndè & Apostolicus tot pulsatus instantiis, tentavit eundem Archiepiscopum ad aliam quamvis Ecclesiam promovere. Sed & penè totum Collegium Cardinalium, excepto Domino Navarrensi, cum adversariis sentiebat. Sed ille, ut Deo confidens, absque terrore erat; nullis enim minis, nullis promissionibus, persuasionibus, cavillationibus, vel inductionibus flecti, poterat à justitia & jure suo. Prosequebatur etiam eum in patria, & omnes suos, maximè venerabile Capitulum Vbsalense, & ipsam Ecclesiam Metropolitanam, intrudens in Archiepiscopatum quendam Arnoldum Clementis, & omnes Curias, cum juribus, reditibus, obventionibus, cæterisque ad mensam, & Archiepiscopum spectantibus violenter arripiens, & hoc intruso miserabiliter defuncto, & divinam ultionem patenter experto, non destitit Rex à tyrannide & persequutione injusta. Adjecit enim & alium quendam Torlacum intrudere, qui aliquanto tempore Regis exequens tyrannicè voluntatem, cognitâ dissensione in regno fugam paravit. Furtivè autem ablato pollice S. Erici; tempestate sævissimâ diutissimè arrestatus, reatum cognoscens sacras remisit cum honore Reliquias, & mox, quò voluit, permissus est navigare. Et hic quidem Bergis à mercatoribus est occisus. Hic Dominus Olaus, die qua electus est, iter arripuit pro sua confirmatione obtinenda, transiens per Finlandiam & Livoniam, per multa viarum discrimina. Et obtentâ Romæ confirmatione & Pallio, reversus ad Lubeck, intelligensque obstinatissimam regis voluntatem, acceptisque à Domino Magno Episcopo Aboënsi C. nobulis Anglicanis mutuò, regressus est ad Vrbem, suam caussam & justitiam defensurus. Quam adeò strenuè defensabat, ut ne in minimo quidem declinaverit, agente Rege,

& omni-

& omnibus qui suo intuitu cogebantur & volebant facere, juxta ultimum posse suum.

Tribulavit interim Rex Ecclesiam Vbsalensem, Capitulum & clerum, & quidquid ad Vbsalensem Metropolim pertinebat, scriptis minacibus, tyrannorum suorum intrusionibus, redituum exactionibus, mandatis intolerabilibus, & aliis vexationibus infinitis. Littera verò Capituli facta ad Regem de electione Domini Olavi ejusmodi est.

Wår ödmiuka tiänst / och innerlige Böner tilförenne: Nåduge Herre / och Högbboren Furste / kungörom wy Eders Nåd / at wår wårduge Herre och Fäder Erkiebiskop Jöns är afliden / Gudh hans Siäl nåde: Och efftter thet wy offta aff honom hördt haffuom / at Edher Nådh haffde honom loffuat / tå han sino Biskops Messo sång när Eder Nåd / at när han affskildes / tå willen j engte hindra hans willia i Kyrkione försörielse: Och nu litet för än han afled / tå sode han thet samma / oc befalte oss Kyrkione föresee / och wälia then som oss tyckte kyrkione nyttoger wara: Så haffuer Kyrkione förseedt och waldt wår Domprost M. Oloff Laurentzson i hans stadh: Ty sendom wy til Edhers Nåd wår Deken och Herra Niclis Rigwardi wan Samkanick / med thetta föreskreffne ärende / bediandes Edhra Nå. med alla ödmiukheet / at j före Gudz skul / S. Erikz oc kyrkione bystånd / vnnen thet til goda som giordt är: Oss heppas at thet är Gudh täckt / och framdeles skal Edra Nåd wäl täckies / när j Mannen vthrönen: Wy wetom at Edher Nåd haan fori alredhe vthrönt hafwen: Han haffde giärna sielf til Edhers Nåd farit / uthan han reddis at Siön skulle farlöss warda / och efeligare än han nu är / Ty faar han öffuer til Påwens gård / tröstande vpå thet Edhers Nåd loffuat hade wårom aflednom fader. Här mz befallen wy / etc. Scriptum Sabbatho, &c. anno &c. LXX.

Rex verò infra quatriduum certificatus aliundè de morte Archiepiscopi, rogavit per secreta postulari in Archiepiscopum, Dominum Thomam Episcopum Stregnensem, adjungens quòd si quem eligerent, aut reciperent præter velle ipsius, scirent eum sibi, & Ecclesiæ ubilibet adversari. Rescripsit autem Capitulum, quòd cùm aliàs fama fuisset, Dominum Archiepiscopum Iohannem esse defunctum, & mentio fieret de Domino Thoma Episcopo in Archiepiscopum assumendo, evidenter apparuit eum nunquàm ad hoc

tantum consensum præbiturum. Receptis igitur his litteris Capituli cum prioribus, Rex cœpit, sicut promiserat, Electo & eligentibus, & Ecclesiæ Vbsalensi multipliciter adversari, sicut in multis litteris hinc inde directis, & ab utraque parte receptis, & in multis instrumentis & processibus apparet luculenter. Nec fuit via aut modus, ut Olaus Archiepiscopus ad Ecclesiam suam Vbsalensem posset habere regressum, nisi quem Dominus dignatus est aperire, ut suscitato eidem Regi adversario in regno, ac sic demum superbissimo Principe humiliato, Archiepiscopum admitteret vel invitus. Idem tamen Archiepiscopus cùm regnum intrasset, & ad suam Ecclesiam rediisset, exposuit se pro Rege plusquàm credi posset, & pro ejus restitutione & perpetuatione in regno, usque ad mortem fidelissimè laborabat, sicut partim in superioribus est expressum. Postquàm verò rex Ericus cœpisset etiam Dacis esse molestus, & attentasset intrudere pro rege Ducem Bugislaum Pomeranum, nepotem suum ex fratre, & ipse egressus in Daciam, omnem thesaurum trium regnorum apud Dacos depositum exportasset. Daci eo repudiato, scripserunt, & per solennes nuncios, quasi in persona Consiliariorum trium regnorum, vocaverunt Christopherum Ducem Bavariæ nepotem Erici ex sorore, ad suscipiendam Coronam, Sceptrum & principatum trium regnorum, quæ gubernaverat rex Ericus. Hæc autem scripserunt Daci, & tractaverunt cum Duce Christophero, ignorantibus & irrequisitis Consiliariis regni Sueciæ, promittentes nihilominus eidem tria regna indubiè assignanda, rogantesque ut indilatè & in potentia properaret in Daniam, opem, si opus esset, contra Erici regis laturus insultus. Ille verò suis rebus præcipitanter ad hæc ordinatis, cum multo Bavarorum, comitatu Danorum pervenit in fines, ad dignitatem quidem regiam, & regni administrationem mox admissus. Coronatio autem ejus triennio est dilata, donec scilicet à Suecis & Noricis susceptus pariter esset in regem, ut eo ipso daretur intelligi, adeò alia duo regna Daciæ esse connexa, ut nisi illa simul haberentur, tanquam nondùm assecutus plenum & totum dominium, ad quod per Dacos assumptus fuerat, non deberet Electus eorum coronari in regem. Succi autem semper illusi à rege

Erico,

Erico, depressi atque contempti, adhuc eum triennio expectabant, vocabant, citabant, & modis omnibus, ut eis tanquam Rex & Dominus præesse dignaretur, & justas patriæ leges conservari pateretur, litteris & nunciis supplicabant. Ille autem non se Regem, sed latronem & piratam eis exhibuit, quoad vixit. Mortuo interim Domino Olavo Archiepiscopo Vbsalensi, modo quo præmittitur, postulatus est in Archiepiscopum venerabilis pater & Dominus Nicolaus Ragualdi, Episcopus Vexionensis, vir multæ discretionis, experientiæ & scientiæ, in omnibus factis suis mansuetus, benignus, longanimis & discretus. Qui in consilio Basiliensi, nomine regis Erici, pro tribus his regnis incorporatus, in multa veneratione habitus, & laudem adeptus; Plurima operatus est laude digna, deque ortu Gothorum, progressu, victoria & virtute autenticè peroravit, exinde deducens, quòd in catalogo Regum & principum congregationibus, sessionibus, conciliis & tractationibus, Rex Gothorum non immeritò sibi vendicet primum locum. Hujus, validissimi & venerandissimi patres & Principes in Basiliensi concilio congregati, virtutem experti, cùm ad id tenderet sacri Concilii intentio principaliter, ut Ecclesiam Dei reformarent in capite & in membris, ut hæreses & schismata extirparent, & ut pacem in Ecclesia Dei ubique terrarum servari procurarent, vetus illud implacabile jurgium, guerram & odium, quod eo tempore inter Regem Franciæ & Ducem Burgundiæ versabatur, tollere cupientes, ipsum cum Archiepiscopo Nicosiensi de Cypro, in tàm ardua & difficili caussa destinarunt. Qui & rem ipsam utiliter gerens & perfectibiliter terminans, à Principibus ipsis donis magnificentissimis est respectus. Hic verò venerabilis pater factus Archiepiscopus Vbsalensis, providâ deliberatione considerans, regnum non posse sine authoritate regia diu stare, simulque perpendens, quod multa malitia esset in terra, cum quibusdam aliis ad hoc animum dedit, ut Dux Christopherus sicut in Dacia, sic & in Suecia assumeretur in regem. Constitutâ itaque dieta Calmariæ, ut Rex susciperetur & reinduceretur, si redire voluisset, confluxerunt ad locum eundem Episcopi & Nobiles cum Marschalco, & civitatum Procuratores. Non destitit autem Christopherus Procuratores

& Ambasiatores illius etiam destinare, qui caussam suam in negotio regni efficaciter promoverunt &c. Erant autem eorum præcipui, Archiepiscopus Lundensis, & Miles quidam Claudius Nicolai, gener scilicet Caroli Knutson Marschalci Sueciæ; qui idcircò præ aliis ad hoc fuit electus negotium, ut tanquàm amicus suadere posset Marschalco, in regem Christopherum consentire. Hi ergò Calmariam venientes, tanto præconio sui Christopheri aures omnium repleverunt, ut capere vix possent humani auditus tantæ gloriæ celibatum, pòst etiam subjungentes: *Si linguæ centum resonarent, oraque centum ferrea, Christopheri laudes vox dicere nescit.* Quæ omnia postquàm in ora populi miro eloquio diffudissent, assumpto Marschalco Sueorum Carolo Knutsson/ & in partem tracto, tantæ gloriæ prærogativâ præcommendatum Christopherum super astra ferentes extollunt, ut omnia prænarrata de eo, horum comparatione nihil esse viderentur. Deindè quanta gloria, excellentia, sublimatio, prærogativa, dignitas & felicitas ipsi Marschalco accrescerent, si hunc tantum Principem assumi & præfici consentiret, multo efficaciori quàm antè sermone confirmarunt. Nec dubitaret ipse Marschalcus, regnum ipsum ad nutum sibi per omnia famulaturum, & ipsum indè habiturum per omnia quidquid vellet. Dummodò Christopherus sortiretur nomen regium & Coronam. Super quibus omnibus litteras regias, die quo vellet habere, se procuraturos & daturos quam facilimè promiserunt. Quibus ille patienter auditis, & quasi vera esse crederet, simulatò commendabat, laudabat, probabat, & nihil rationabiliùs esse, quàm ut talis in regem susciperetur, modis omnibus affirmabat. Sed eâ vice fieri non posse, eò quòd pauci eorum, quorum intererat, essent in oppido congregati. Dissoluto igitur Nobilium conventu, referunt Marschalcum quandam inclusum consuluisse Monialem, quæ respondit *eum regem futurum*; Et cùm ille responderet, *Consiliarios contra niti, & in regem Christopherum consentire*, illa subjunxit, *propterea tres plagas sævituras in regnum, sc. guerras, caristiam pestilentiam & caristiam graviorem, quibus omnia transferrentur à regno, si Marschalcum assumerent mox in regem, & eum nihilominùs suo tempore regiam dignitatem adepturum.* Dicunt etiam infantulum quendam in monasterio VVaste-

nensi

i clamasse, & matri suæ dixisse, *in capite Marschalci co-*
um auream se videre. Celebrata exindè dieta Arbogiæ, in
ille surgens in medium, peroravit in hunc modum:
stis (inquit) *in quantis angustiis regnum erat constitutum eo*
pore, dùm me gubernatorem fieri voluisti. Nunc autem meâ in-
riâ & labore, sed & multiplici periculo & sudôre factum est
ificum & tranquillum. Rogo igitur sic meos labores respicere &
sare velitis, ne cogar cum meis, quoad vixero, mendicare, as-
ens *se multa & importabilia intuitu regni debita contraxisse*, sic-
e discessit: Consiliarii autem congregati, directo ad eum
ernuncio, inquiri jusserunt, *quid sibi vellet pro tanto labore*
undi? At ille obtabat Finlandiam pro tempore vitæ suæ;
elandiam verò pro se & hæredibus suis, ut ab eis redima-
r X L. millibus marcarum. Quod & illi dicuntur gratui-
admisisse & annuisse. Omnium igitur unanimi consensu
teræ diriguntur ad regem Christopherum, super privilegiis
certis articulis sigillandis. Quibus si annueret, promittunt
in proximo festo D. Iohannis Baptistæ ei occurrere, & in
egem Sueciæ acceptare, loco conventionis Calmariæ de-
utato. Scripsit & Marschalcus singulariter pro se, signifi-
ans quòd de his & illis territoriis, esset ei pro suo labore
er Consiliarios provisum, rogans & ipse quæ hæc & quæ-
lam alia sibi sigillata darentur. Fiunt ex templò cuncta petita,
& longè majora promittuntur. Sed & si sidera petita fuis-
sent, incunctanter fuissent à Rege promissa. Verum circa
Marschalcum, qui regnum cum castris tenebat in manibus,
ampliùs extitit laboratum. Hunc enim rex Christopherus
dulcissimis litteris, & amicissimis nunciis vocavit ad Halm-
stad, ubi tanta dilectio & gloria fuit ei promissa, quòd non
sit facilè enarrare, dùm in patrem eligitur à Rege cum jura-
mento. Adveniente v. festo S. Iohannis Baptistæ, ad lo-
cum præfixum, Calmariam videlicet Consiliarii Suecorum
accedunt, regem Christopherum suscepturi. Sed impetitus
bello quod in rusticos Iuthones admisit, ubi magnam stra-
gem faciebat ex illis, litteris suis significavit se venturum ad
festum assumptionis Virginis gloriosæ. Permanserunt ergò
Calmariæ Dn' Archiepiscopus, & cæteri Consiliariorum
usque ad adventum Regis, qui circa festum Nativitatis Ma-
riæ portui applicuit Calmarnensi, Marschalcus autem festi-
navit

navit Holmiam. Mox igitur venientem Regem cum processione reverenter excipiunt, de Ecclesia in castrum perducunt, & in continenti versus Holmiam accelerant. Occurrit autem Regi Marschalcus in Herstät / & cuncta ei necessaria in victualib. administrat. Quievit autem duabus noctibus in Walmarßön / deinde applicans in Sudermalm/ inde processionaliter excipitur, & cum canticis in oppidum Holmense, in Ecclesiam & castrum deducitur, Archiepiscopo & Marschalco hinc inde eum ducentibus. Vox autem vulgi insonuit, *Marschalcum digniorem imperio & coronâ.* Quæ vox continuo pulsavit Regis auditum, hoc efficiens quod vox illa dicentium; Percussit Saul mille, & David X. millia. Mox autem cum Prælatis & tota militia Rex accessit Vbsaliam, & in profesto Exaltationis S. Crucis, apud Morasteen ab omnibus regnicolis in regem unanimiter acceptatur, factis consuetis à Rege & populo juramentis, ut fieri est consuetum. Die verò S. Crucis more
66. & honore regis coronatur, creatis LXX. Militibus Suecis, Dacis & Bavaris: quorum primus erat Carolus Knutson Marschalcus. *Christopherus.* Rege verò deinde reverso Holmiam, oritur adversus Marschalcum gravis molestia & querela à Domino Christierno, dudum ab eo injustè, ut asseruit, captivato, cœpitque Rex exindè Marschalco plurimùm esse molestus, & diversas contra eum occasiones quærere, causasque perpendere, quas ille multa cautela, & fidelium familiarium assistentia declinavit. Hic Christopherus regno Sueorum multarum calamitatum occasionem induxit; Quàm citò enim potens factus esset in regno, ipso dissimulante & annuente, rex Ericus partes maritimas regni, multis latrociniis, incendiis & spoliis affligens, in magna parte patriam reddidit desolatam, omnesque transeuntes navigio, mira tyrannide & rapina, vel timore & aggressu prædonico molestavit. Quanta autem bona de oppido Holmensi evecta surripuit, non facile est æstimare. Rex verò Christopherus ista per diversas querelas intelligens, respondit *avunculum suum vita necessariis indigere, nec vitam posse agere absque congruis alimentis.* Considerans autem Sueorum abusum, quo se nituntur invicem plerumque supplantare, usus est eorum abusu in gravissimum exterminium, dispen-

dispendium & ruinam totius Sueticæ nationis. Advertens enim quod avidi essent, & importuni ad petenda sibi feuda, & bona tributaria de Corona, nec mutuo sibi deferrent, quin sibi conferri deposcerent quod alteri erat jam collatum, detractiones multiplicantes alter alterius supra dorsum, simulque considerans sibi plurimùm esse proficuum, si dissensiones & jurgia essent inter illos, hanc sibi statuit in feudis largiendis censuram, ut cuilibet petenti statim conferret quod ille rogaret, dummodo pecuniam haberet in promptu, quâ de Cancellario super concessione feudi litteram redimeret sigillatam; super quo in ipso mox petitionis principio Rex interrogare consuevit. Consuevit autem littera hujusmodi de Cancellario Regis extrahi XX. nobulis Anglicanis, de qua pecunia ex pacto & conventione, Rex medietatem accepit. Feudi verò possessio tàm diu duravit in manibus, & potestate cujuslibet sic ementis, donec veniret alius qui idem feudum vellet optare. Quod quibusdam quinque erat dierum, vel quinque hebdomadarum, magnum autem si & unius mensis, ita ut infra unius anni circulum, octo vel decem unum feudum taliter comparassent, & vix unus eorum indè tributa recepit. In hunc ergo modum omne aurum erasit à regno, & per suos Bavaros in patriam suam, per summas multas & maximas destinavit. Adeò enim erant Sueci sua ambitione & mutua invidia excœcáti, ut in tantis suis dispendiis non perciperent se illusos. Duxit autem Christopherus uxorem, quandam Dorotheam filiam Margravii de Brandenburg, quam nec maritali dilexit affectu, nec liberos ex ea suscepit. Erat enim ipse Rex incontinentiæ abominandæ, propter quam venit ira Dei in filios diffidentiæ. Vnde putabant quidam ob ejus lasciviam, regnum fuisse plagatum caristia illa diutina, quæ sub ejus principatu duravit. In Anglicos etiam latrocinia exercuit, quorum naves multas & magnas arripuit, bonis inæstimabilibus oneratas. Civitates deinde Alemannorum maritimas diu quidem exagitatas, semel autem, sed frustra attentata versutia sibi subjugare conatus est. Convenerat enim cum Principibus Alemannorum, præcipuè superioris Alemanniæ, quod concorditer & simul, sed occulta fraude, & quasi subitò super civitatem Lubecensem irruerent, qua habitâ

habitâ facile fuisset etiam alias subjugare. Res autem sic disposita erat: Die enim inter eos dictâ contulerunt se ad urbem Lubecensem Principes colligantiæ supradictæ, arma sua secum ducentes in vasis magnis, quasi vinum pro longa sua sustentatione ferentes; Rex autem his diebus exercitu numeroso collecto, & in magna classe circa littora civitatum stagnalium pervagatus, simulabat se ad VVilsnack, devotionis & peregrinationis gratiâ profecturum. Petiit autem primùm à Lubecensibus, quatenùs ei liceret per civitatem eorum cum quinque M. armatorum transire, & votum peregrinationis, quo sacrum cruorem in VVilsnack visitare tenebatur, ex voto perficere sineretur, caussam assignans quarè in tanta multitudine gradiretur; quia cùm aliàs hanc viam incedere attentasset cum paucis, Principes quidam vicinarum & intermediarum regionum insidias ei, ut eum possent captivare, parabant. Lubecensibus autem introitum ac transitum per eos illi negantibus, VVismarienses, ut per eos transire posset, attentavit, similiter & Sundenses. Sed negativâ per utrosque receptâ, Rostochienses super eodem scribendo pulsabat; quibus transitum concedentibus, misit ad eos duos Milites, ut electis certis domibus pro Regis hospitio, pararent sibi congruas mansiones. Fama igitur erat in Rostock quotidiè Regem venturum ad locum. Sed non erat ejus intentio alia in hoc facto, quàm credibile facere eum iturum ad VVilsnack, & ne qua esset suspicio, cur extra portum Lubecensem, & vicinarum civitatum tam diu gyrovagus ferebatur. Accidit verò interim nocte quadam in civitate Lubecensi domum quandam casu incendi, & dato signo & orto clamore totam urbem ad succurrendum vocari. Tunc Principes & Nobiles, qui de superioribus partibus Alemanniæ advenerant, & aliquandiu jam in Lubeck Regis adventum expectarant, putantes Regem advenisse, & per injectionem ignis incendium hujusmodi procurasse, & impetu facto pro impugnatione civitatis aliquid attentasse, præcipitanter ad arma prosiliunt, armatique ad portas civitatis accelerant, ut eas aperiri vel frangi procurarent. Depræhensi ergò & interrogati *cur arma adduxissent?* Responderunt *se ea pro exercendis hastiludiis, aliisque militaribus studiis adduxisse, nec aliud quàm civitati succurrere intendisse.* Iussi

tamen

tamen ſunt continuò civitatem egredi, & in loco alio, ſi placeret, ſua militaria ſtudia exercere. Rex verò his auditis, in Daciam cum ſuo exercitu ſe retraxit, multisque inſtantiis & lacrymis Suecorum, per regem Ericum continuò ſpoliatorum fatigatus, acceſſit Gothlandiam quaſi vindicaturus, aut pacem procuraturus, & rogatus ne cum rege Erico ſingulari & privato conferret colloquio invitis omnibus qui aderant ex Succis, longum cum eo ſoliloquium tenebat. Et continuata ejusdem regis Erici ſpolia oſtentabant, qualiter in ſuo ſoliloquio conſpirabant. Egreſſus verò de Gothlandia, Calmariam navigaturus, impegit nâvi in lapidem, aut quodvis aliud offendiculum. Erat enim communis navium tranſitus, ubi nemo noverat navigandi impedimentum. Et fractâ navi ſtatimque ſubmerſâ cum multis Nobilibus & plebeis, Rex cum multâ difficultate in cymba ad littus perductus. Cùm autem Sueci, præ cæteris ſibi ſubjectis, odio haberentur, & continuis ab eo oppreſſionibus vexarentur, etiam Dani minùs quàm extranei, præcipuè Bavari, curabantur. Convenientes igitur Sueci & Daci potiores, rogaverunt Regem, omninò volentes, & ſeriosè ſubjungentes quòd Bavaros ſuos à ſe remitteret, & faceret in terram ſuam repatriando redire. Quod rex valdè moleſtè ferens & ægrè ſuſcipens, mores converſandi mutavit & jocos, ac hilaritatem conſuetam in vultum nubilum ac diſtortum convertit, cœpitque disquirere quonam modo hanc ſuam diſplicentiam in Suecos, ut aſſolet, retorqueret. Iuſſit igitur circa feſtum Natalis Domini, Nobiles omnes potentiores de Suecia Ienecopiæ convenire, & illic ſe, donec venire poſſet, congregatos expectare. Sunt qui referunt Regis intentionem fuiſſe, multos Suecorum vitâ privare voluiſſe, aliosque diverſis ſuppliciis & ſervitutibus humiliare; Sed qui remedium appoſuit, aliud cogitavit. Iturus enim Chriſtopherus ad Suecos Ienecopiæ congregatos, in Helſingborg diem clauſit extremum in feſto Epiphaniæ, anno MCDXLVIII. ſepultusque eſt Roſchildis in Eccleſia S. Lucii. Omnium autem quæ poſſedit, navium, equorum, auri & argenti, & omnis pecuniæ de Suecia exportatæ remanſit copia apud Dacos. Cuius morte perceptâ, Dominus Nicolaus Archiepiſcopus Vbſalenſis, lachrymatus eſt, moxque in lectum ægritudinis

decidit,

decidit, & paucis inde diebus elapsis vitam finivit temporalem. Tunc convenerunt in unum majores natu cum Episcopis & Prælatis, duos ordinaverunt gubernatores regni, videlicet Dominum Benedictum Iunson, & fratrem ejus Nicolaum Iunson. Marschalcus enim Carolus Knutson non erat cum eis, in castro VViburgensi eminùs residens. Electus est etiam in Archiepiscopum Vbsalensem venerabilis Magister Iohannes de Salesta, Decretorum Baccalaureus, filius præfati Domini Benedicti Iunson. Et quia eo tempore schisma erat in Ecclesia, vigente Concilio Basiliensi, cum Papa Felice, & electo Romæ Papa Nicolao, cui ubique obœdientia servabatur, licet Ecclesia Suecana usque ad mortem Nicolai Archiepiscopi Consilio firmiter adhæsisset, missi sunt solennes nuncii de Capitulo Vbsalensi pro confirmatione & Pallio eorum Electi, & plures numero cum hujusmodi mandato, ut ab invicem divisi, per diversas transirent nationes, diligenter inquisituri, quis haberetur pro indubitato Apostolico generali pro tempore. Et quem cognoscerent pro vero Apostolico recognosci, ab illo impetrarent confirmationem, & Pallium obtinerent. Transeuntes igitur per Daciam, & partes Alemanniæ inferioris, audierunt Papæ Nicolao obœdientiam ubique servari. Nihilominùs deliberaverunt Basileam adire, & quid ibi per Concilium ageretur, agnoscere. Ita quidam eorum per partes Rheni ascenderent; Alii verò per Saxoniam, Misniam, Turingiam & Sueviam. Deinde apud Argentinam pariter omnes conventuri, ut quid utrinque in suo itinere cognovissent, coram aliis aperirent, & sic collatione facta, se summariè super processu negotii informarent. Erat in hac comitiva quidam M. Carolus Ingevvalli Canonicus Vbsalensis. qui patrum contempto præcepto à quibus missus fuerat, pactoque rescisso cum sociis inito, Basileam præcipitanter & furtivè, hoc est clam sociis, sine dilatione accessit. Et quia decretum electionis ipse portabat, cæpit negotium agitare, & Ecclesiam præfatam obtinuit confirmari, sibique ibidem Præposituram Vbsalensem, quam Electus tenuerat, impetravit, Supervenientibus igitur sociis, & vix tandem eum invenientibus, dixit omnia feliciter esse & perfectibiliter expedita, nihilque restare, nisi ut iter arriperent, in patriam redeundo. Tunc dissen-

dissensione gravissimâ inter eos ortâ; ab invicem discesserunt, ipso Magistro Carolo cum quibusdam eorum ad patriam divertente, aliis iter assumptum versus Romanam Curiam continuantibus. Erat tunc temporis Romæ quidam Birgerus Magni de Holmis, tunc, vel certè statim post Decretorum Doctor effectus, qui cognito tali processu, ad audientiam Nicolai Papæ illam rem detulit, & Præposituram impetravit. Electus autem Vbsalensis, Magistro Carolo reverso, de confirmatione Concilii contentus, munus consecrationis accepit. Sed non longè pòst coactus est à summo Romano Pontifice, veram confirmationem petere, & Pallium recipere; Scripsit enim Papa Nicolaus in hunc modum.

Nicolaus &c. dilecto filio Ioanni Benedicti Præposito Ecclesiæ Vbsalensis, ad eandem Ecclesiam per Capitulum electo salutem. Vèniens ad Romanam Curiam & præsentiam nostram dilectus filius Canutus April, Canonicus Vbsalensis, artium Magister, procurator tuus, exposuit nobis quomodo dudum vacante Ecclesiâ Vbsalensi, per obitum quondam Nicolai ipsius Ecclesiæ Vbsalensis Archiepiscopi, Capitulum ipsius Ecclesiæ te in eorum Archiepiscopum concorditer elegerat, quod quo tu pro confirmatione & provisione super hoc obtinenda, tuos procuratores cum aliquibus aliis eis adjunctis, constituisti Carolum Ingevvasti, & dictum Canutum Canonicos dictæ Ecclesiæ qui deberent accedere pro confirmatione hujusmodi ad eum, pro quo major pars Germaniæ se declinasset. Et cùm certum esset eis nationem Germaniæ ferè totam, nos verum Christi vicarium Romanum pontificem recognoscere, & nobis obædientiam præstitisse, dictus Carolus nequitiæ & malignitatis spiritu ductus, ad damnatam Basiliense conventiculum pro hujusmodi confirmatione accessit, ac super hac eorum litteras impetravit. Quapropter ipse Canutus, videns se deceptum & de hoc ipse & socii cæteri pessimè contenti, ad Romanam Curiam accesserunt, nobis hæc prout acta erant exponentes. Nos igitur commendantes dicti Canuti & sociorum ejus probitatem & devotionem, ac præfati Caroli nequitiam & perfidiam reprobantes, tibi scribendum duximus, nos esse dispositos recipere te ad gremium Ecclesiæ, & habere loco

boni filii nostri, ac providere de præfata Ecclesia personæ tuæ, dummodò damnes & improbes præfatum conventiculum, & eorum damnandas litteras & provisiones rejicias & aspherneris, neque illis utaris quoquo modo; sed nos pro summo Pontifice & vero Christi vicario, & Romanam Ecclesiam tuam matrem, & magistram sincero animo recognoscas, ac ad nos destines pro tuæ electionis confirmatione & provisione. Quod libenter faciemus, si volueris filius esse devotionis: Nos enim ita erimus favorabiles, & grati tibi circa debitum Cameræ Apostolicæ, & aliis rebus quibuscunque, ut de nobis debeas meritò esse contentus. Dictum verò Canutum cum sibi adjunctis, qui honorem tuum & statum diligunt, suscipies cum omni favore recommissos. Datum Romæ apud S. Petrum &c.

LIBER SEXTUS

HISTORIÆ SUECORUM GOTHORUMQUE.

VAcante regno Sueorum per mortem regis Christopheri, cùm multi essent in regno Milites divites & potentes, multi erant qui ad coronam regni & dignitatem Regiam aspirabant, suæ conditionis immemores & malorum instantium inexperti; Gubernatorum tamen decreto, & aliorum accedente consensu, statutus est terminus, & litteris intimatus, quòd ad tractandum de provisione regni, omnes quorum intereat; deberent in loco ad hoc negocium congruo convenire. Anno ergò quo defunctus est Christopherus, scilicet anno Domini MCDXLVIII. ad oppidum Stocholmense, circa festum Corporis Christi congregari jubentur universi. Tempore igitur præfato accedunt ad locum Episcopi, Prælati, Milites, & Liberti, ac rusticorum & civitatum Nuncii speciales. Tunc advenit de VViborg Carolus Knutson Marschalcus regni, & quondam gubernator, in multa familiarium comitiva, acceptis melioribus & fortioribus domibus oppidi Stocholmensis & hospitiis

hospitiis pro loco manendi; cum gubernator regni Benedictus Iunson castrum haberet pro se & suis. Convenientes igitur loco in uno ad tractandum de futura provisione & gubernaculo regni, nulla poterant ratione animis convenire. Volebat enim una pars statim esse procedendum illo in loco, & his diebus ad electionem Regis; altera verò dicebat nullatenùs expedire; nec id fieri posse aliquatenùs cum honore, quin potiùs electionem differendam esse, & suspendendam usque ad dietam aliquam, cum Consiliariis regnorum Daciæ & Norvegiæ celebrandam; maximè propter colligantiam regnorum, tàm solenniter & notoriè factam, & ut pax ac tranquillitas esse posset inter regna, aliis etiam caussis & rationibus introductis. Dato etiam quòd prætermisso tractatu cum Consiliariis duorum regnorum dictorum, & colligatione recisâ, videretur pro eo tempore ad Regis electionem procedendum; nihilominùs non posset honestè fieri tàm subitò & festinè, quòd oporteret rem hujusmodi per regnum pronunciari, & die præfigendâ in loco antiquitùs observato, cum solennitate debita attentari. Pars autem contraria rationes contrarias adducebat, atque in hunc modum multis diebus contentiosè & scandalosè invicem altercantes, etiam ad pugnam pedestrem in campo se provocabant; tandem tamen prævaluit pars illa quæ Regem asserebat continuò eligendum. Consedentibus igitur cunctis, qui vocem in electione Regis habere putabantur, non tamen secundum formam Legisterii, datis scrutatoribus, duobus scilicet Episcopis, & duobus Militibus, tres electi fuerunt. Sed majore votorum numero circa Carolum Knutson concurrente, assumptus est in regem, & cum hymno: Te Deum laudamus &c. in Ecclesiam introductus. Post hæc accessit Vbsaliam, & in vigilia Apostolorum Petri & Pauli apud Morasteen, vulgari accedente consensu, rex Sueorum & Gothorum est publicè proclamatus. Die verò Sanctorum Apostolorum diademate coronatus; Reginæ autem coronatio in diem Visitationis Mariæ dilata est, ut ab Archiepiscopo coronaretur, qui eo die munus consecrationis accepit. Rex igitur Carolus sceptro regali cum honore taliter insignitus, manum misit ad fortia. Nam mox regressus Holmiam ad debellandum regem Ericum, qui

67. Carolus Canuti.

Gothlandiam, partem scilicet non modicam regni, per violentiam occupabat, & gravissima inde damna regnicolis inferebat, expeditionem dirigit sub manu Militum, Magni Gren, & Birgeri Trolle, cum cæteris aliis Militibus simul adjunctis. Habebant autem circiter II. M. armatorum, & in primo aggressu portum intrantes Flenavvijck, ascenderunt in terram Gothlandiæ cum triumpho. Accurrens igitur exercitus regis Erici faciliter est repulsus. Mox ergò qui advenerunt, ad civitatis Visby mœnia admoventes, obsidionem firmaverunt. Duravit autem obsidio civitatis usque ad festum Barbaræ, in cujus nocte scalis longis & fortissimis erectis, muri altitudinem ascenderunt, & civitatem quasi latenter obtinuerunt. Obtinuissent & castrum, si prudentiùs & maturiùs se gessissent. Non habebat enim Rex victualia in castro, circumvenit ideò eos suis promissionibus & viis fallacibus. Et quibusdam munusculis deceptivis, & datis induciis, providit sibi de necessariis abundanter, tenuitque castrum usque ad adventum Danorum, quos occultè vocavit, & eis castrum assignavit. Audientes enim Daci quæ gesta erant in Suecia de electione Regis, & obsidione Gothlandiæ, miserunt ad regem Carolum existentem in Oelandia, qui dicerent ei quòd revocaret gentem suam de Gothlandia, eò quòd esset de attinentiis Daciæ. Ille verò asserens Gothlandiam ad Sueciam pertinere respondit se nolle inde retrahere gentem suam. Vnde reversi, cœperunt etiam de conservatione suorum prætensorum jurium cogitare. Dicunt autem quidam, quòd cùm audissent Carolum Knutson electum fuisse in regem, nimio cæperint terrore tabescere, æstimantes eum venturum in Oeresund, & regnum Daciæ suo subjugaturum imperio. Aut saltem multiplicem injuriam, quam illi regno Sueonum intulerant, vindicaturum, & pecuniam, quam illi longo tempore de Suecia exportaverant, repetiturum. Audientes verò quòd non ad eos, sed ad Gothlandiam divertisset, plaudentes manibus gravisi sunt valde, quòd providendi sibi dilatio esset data. Tunc cum Duce Holsatiæ de assumendo Domicello Christierno in regem efficaciter tractaverunt, quòd aliàs non fecissent. Quid autem caussæ fuerit, quòd rex Ericus Dacis potiùs, quàm Suecis, castrum Visborg cum Gothlandia voluerit assignare, diversi

diversa sentiunt, quibusdam asserentibus regem Carolum fuisse in culpa. Tùm quia non volebat permittere regem Ericum rebus suis salvis castrum resignare, & quò vellet transire. Verùm mandasse dicitur principibus exercitus sui, quòd castrum cum clenodiis Erici regis obtinere curarent. Tùm quod promisso sibi castro Borcholm cum Oelandia in recompensationem Gothlandiæ, cùm quosdam de suis ad Oelandiam direxisset ad acceptandum castrum Borcholm, aut saltem ad intelligendum utrùm veraciter sibi pateret ingressus ad illud, gener regis Caroli Ericus Erici de Iuthia, qui castrum ipsum eo tempore occupavit, eosdem familiares regis Erici dicitur captivasse, & carceri intrusisse. Alii autem dicunt, hanc fuisse iuveteratam invidiam & continuatem ejus displicentiam in Suecos, & in personam regis Caroli; quoniam eum novit suæ eminentiæ successisse, vel hoc modo voluit Suecos & Dacos ad jurgium comportare, & ad bellum continuum incitate. Contemptis igitur, & illusoriè despectis quæ ei à rege Carolo fuerunt oblata, ad Dacos se convertit. Qui venientes in potentia circa festum Paschæ, intrabant portum, circa castrum cum suis navibus applicantes, Regemque cum omnibus, quæ tum tollere vellet, suscipitentes ad naves, castrum pariter de suis manibus susceperunt. De Gothlandia igitur navigantes cum Rege, circa Borgundaholm diebus aliquibus pausaverunt, ubi rex Ericus furtivè ab eis separatus, divertit in Pomeraniam, & in castro Ryenvvold annis plurimis vitam duxit, ibique vitam finivit. Dicunt verò quidam regem Ericum, cum Dacis in Gothlandia taliter convenisse, quod cum eis intraret Daciam cum thesauro quem habebat, terram Getzör habiturus ad vitam; sed circa Hammershus, ut præmittitur, recessisse. Alii volunt Dacos eum ad castrum Ryenvvold honorificè deportasse. Postquam autem Daci castrum Visborg, ut præmittitur, suscepissent, Sueci nihilominùs civitatem & terram Gothlandiæ retinebant; & obsidionem castri continuabant, multo tempore multisque laboribus & expensis rege Carolo necessaria in victualibus & pugnatoribus ministrante. Tunc Domicellus Christiernus in regem Danorum assumptus, & regni administrationem adeptus, de toto regno Daciæ collegit exercitum, Sed & de

Holſatia & Alemannia ſtipendiarios multos aſſumpſit, & cum claſſe C C. navium, ut famabatur, ad acquirendam Gothlandiam navigavit. Præmiſit autem quendam Olaum Axelſon Militem, ut Suecos, qui nomine regis Caroli civitatem & Gothlandiam occupabant, modis & mediis quibus poſſet circumveniret, falleret & deciperet, aut regi Chriſtierno inclinaret. Qui juſſa Regis ſui humiliter executus, applicuit in portu, aut loco Veſtergarn, illic vocans ad colloquium ſui quosdam principaliores de gente regis Caroli, quorum unus & præcipuus erat Magnus Gren præfatus. Qui cum præfato Olao Axelſon ita dicitur conveniſſe, ut Daci caſtrum pacificè retinerent, Sueci civitatem & terram. Tunc præfatus Olaus Axelſon cum toto excercitu, quem ducebat, applicuit in portum civitatis, & usque ad muros caſtri, & omnia quæcunque voluit, de navibus fecit apportari in caſtrum. Deinde omnes munitiones, quas Sueci fecerunt ante caſtrum, & quæ erant præſidio civitati, fecit effringi, & totaliter auferri, dicēns nihil opus eſſe talibus, cùm omnia eſſent pacificè concordata, Magno Green idipſum affirmante & approbante. His peractis, præfatus Olaus Axelſon nuncios direxit ad regem Chriſtiernum, ut claſſe & exercitu ſuo navali ſecurus procederet, & uſque ad caſtri latera applicaret. Venit ergo feſtinus & intravit ſecurus, omnisque exercitus ejus in terram proſilivit armatus. Quo viſo, Sueci miſerabiliter circumventi, ad regem Chriſtiernum nuncios direxerunt, interrogaturos *utrumnè ſervare vellet, quod per Olaum Axelſon cum eis tractatum fuerat & promiſſum?* At ille reſpondit *ſe velle ſervare.* Vix ille verba finierat, & Daci in omnem angulum, ubi commodè potuerant, ignem ſubjiciunt. Sueci verò concurrentes, domos aliquas civitatis elegerunt, in quibus ſe defenſionis gratiâ receperunt. De quibus tantum in Dacos fecerunt inſultum, ut circiter D C. ſtipendiarios & alios occiderent in plateis. Videntes igitur Daci Suecos ſe viriliter & animoſe defendere, nec poſſe ſine magna ſtrage & ruina ſuorum Suecos erui à domibus taliter occupatis, cæperunt cum eis tractare de pace & treugis inter regna firmandis, ab eo die usque ad feſtum Apoſtolorum Philippi & Iacobi, actaque ſunt hæc in præfeſto S. Olavi, anno Domini M C D X L I X.

ſicque

ſicque amiſsâ Gothlandiâ Sueci in patriam ſunt reverſi. Poſt hæc circa feſtum Michaëlis tranſivit rex Carolus in Norvegiam, & ſe fecit in regem nominari, & Nidroſiæ coronari, poſitisque duobus gubernatoribus regni, ſcilicet Aslacho Tureſon, & Evaro Floga, in Sueciam continuò eſt reverſus. Deinde congregatione factâ Arbogiæ, deputati ſunt XII. ituri ad Halmſtadh, ubi tractatus cum Danis initus nullo modo placuit regi Carolo; quem tamen ſui promiſerant obſervandum ſub pœna captivitatis. Dicebat enim rex Carolus, callidiſſimè ibi excogitatum eſſe modum tàm per Dacos, quàm per Suecos excludendi eum ab regno. Ipſe tamen invenit modum hanc decipulam evadendi. Deinde juxta condicta ad celebrandam dietam apud Calmariam, rex Carolus illuc acceſſit cum Conſiliariis, excluſis tamen illis qui Halmſtadii fuerunt in tractatu. Rex verò Chriſtiernus ſe recepit in Rotnaby, ſed nihil rationabile aut firmum concluſum eſt. Daci enim ad nihil aliud tendebant, niſi ut regem Carolum regno Sueorum privarent, ac regem Chriſtiernum inducerent. Rex autem Carolus ad hoc laborabat, ut pacificus ſtaret in regno. Quòd igitur Daci aliquando treugas inierunt, eâ intentione faciebant, ut ijs interim liceret facere quod volebant. Poſt hæc circa feſtum Natalis Domini, egreſſi de Dacia & Gothlandia ſatellites regis Chriſtierni, & Olai Axelſon, & intrarunt Sueciam circa Stekeholm, & multos ibi captivantes & ſpoliantes, multas parochias incendi vaſtaverunt. Propter quod rex Carolus cum multo exercitu intravit Scaniam, & egit ibi ſimiliter, & tantò ampliùs, quò majorem illuc exercitum introduxit. Hoc tempore rex Chriſtiernus cum multis Principibus Alemanniæ convenerat in Vilsnack, quos omnes in ſui adjurorium adverſus regem Carolum invitabat. Sequenti ergò æſtate rex Chriſtiernus cum grandi exercitu intravit Veſtgotiam, & ingreſſus Ludoſiam, fortificavit eā foſſatis & mœnibus, & aliquanto tempore ibi moram ducens, tractatus habuit occultos cum his, qui caſtra regis Caroli nomine occupabant, ut poſtquàm terram totam, aut partem aliquam notabilem obtinuiſſet, liberum haberet ingreſſum in caſtra. Sic magna pars Veſtgothię ei cæpit homagio adhærere. Rex v. Carolus eidem, ut prętendere videbatur, occurſurus circa ſilvam Tyyved mutato conſilio retroceſſit.

Audierat enim quod unus Dacorum exercitus ad oppidum applicuerat Stocholmense, unde festinabat loco succurrere principali. Daci igitur quorum duces & principes erant Olaus Axelson, & Magnus Green; qui ad Regem transfugerant ab oppido Stocholmensi, bellandi virtute repulsi, audito Caroli regis adventu, longiùs ab oppido recesserunt. Expedito igitur per Regem navali de Holmis exercitu, lento discessu hostes paulatim & morosè versus mare se conferunt. Succorum enim exercitus pugnans, quasi vincere volens, habens Dacos Capitaneos, jactis ancoris lignis dimicabat, & pila mittebat in auras. Rex verò Christiernus aliquantulum in Vestgothia commoratus, Ienecopiam adiit, silvam Holevved cum exercitu transiturus. Præmisit autem partem exercitus cum certis Capitaneis, ut viam sibi securam facerent. Quibus occurrens in eadem silva Ericus Nypert cum parva potentia rusticorum, occidit circiter C C C. ex eis, & quosdam nobiles captivavit, unde metricè vulgatum.

Complures Holewed/ de Dacis fullo dodha nedh: Dat finem rixæ Dacis, then Swenske Polyre.

Tunc rex Carolus animosior factus, accessit Vastenas, & inde misit pro Capitaneo Tordonem Bonda, cum electa familia sua propria in Vestgothiam, ut si quomodò fieri posset. Ludosiam reduceret ad obædientiam & homagium, & cætera quæ expedire videbantur, suo nomine attentaret. Ille verò ingressus Vestgothiam summo diluculo, cùm adhuc tenebræ essent irruit in Ludosiam, & Dacos pro custodia loci relictos, circiter LX. adhuc semivigiles captivavit, ac eorum spolia divisit cum sociis. Reducto igitur oppido ad Caroli regis homagium, etiam castrum Axevvald cum astutia ascendens, ad manus regis Caroli revocavit. Tendens deinde rex Carolus in Vestrogothiam, castra quædam recuperavit, quæ transfugæ commiserant ad manus regis Christierni firmâ custodiâ observari. Erat quippe rex Carolus homo proceræ & elegantis staturæ, pulchræ faciei, & per omnia corporis organa regiæ dignitatis speciem prætendebat. Erat & homo callidi & sagacis ingenii, prudentis eloquii, & cautus in responsis. In rebus verò bellicis minùs, quàm tali officio expediebat, instructus, meticulosus & timidus, & ad congregandam pecuniam & sibi providen-

videndum plurimùm ingeniosus. Vnde totum regnum, & omnes obventiones & reditus suis usibus deputavit, feuda & castra paucis de militia concedendo, propter quod minùs quàm necesse est à Nobilibus amabatur. Scientes igitur Daci, & omnes hostes sui, hæc quæ dicta sunt ita se habere, bellis eum continuis fatigarunt, incessanter regnum suum bellicis incursibus tribulando, ut tandem timore & laboribus attædiatus, cederet; vel propter eum incolis regni tàm continuò & multipliciter tribulatis, otiretur contra eum indignatio, tædium & invidia subditorum. Vix enim erat annus aliquis sub suo principatu, quin oporteret ter, aut quater, aut pluries in anno civitatenses & rusticos, cum Militaribus & ingenuis ad defensionem regni sui vocari & exercitum expediri, unde tàm Nobiles quàm plebei ad ultimam redacti sunt paupertatem. Vsi sunt autem hostes ejus hac versutiâ & cautelâ, ut etiamsi nullam irruptionem in regnum facere cogitarent, simulabant tamen & effingebant se adversus Regem in grandi exercitu & potentia incursuros, ut ille de extremis regni sui rusticos, & alios in auxilium evocaret, & tàm ipse expeditos ad bellum, quàm incolas, per quos transitus erat, nimiâ vexatione gravaret. Hoc autem per singulos ferè menses, illusoriè quidem per hostes, sed frustratoriè & damnosè per incolas agebatur. Erat autem miseria grandis in regno dùm supra numerum multiplicarentur, qui rusticos tribularent, & nemo succurreret, ab hostibus defendendo. Habebat enim rex Carolus præfectos nequissimos, & ad extorquendam ultimam, quam rustici habebant pecuniam, callidissimi & peritissimi, qui sub specie justitiæ conservandæ, & injustitiæ puniendæ, erant in Legisterio doctissimi. In tantùm autem Legisterium practitabant, ut vix inveniretur in regno unus rusticus, qui non esset à Præfecto suo in pecunia, & rebus aliis talliatus. Hi omnes de pauperibus divites facti, cùm regnum turbaretur ab hostibus in Contractis sibi concessis, quieti & liberi remanserunt. Rustici verò tàm multipliciter & graviter talliati, mittebantur ad hostes, & cùm tàm dilecti fuissent à Principe, & tàm gloriosi per eum, & propter eum effecti, dùm esset in angustia constitutus, non erat vel unus eorum, qui ad succurrendum ei vel manum moveret aut pedem. Cùm

 enim

enim æmuli Regis contra eum in regno insurgerent, iste se spontè captivandos obtulerunt, ut in nullo periculo esset pecunia eorum grandis, quam ob sui magnitudinem erat difficile custodire. Insuper & equi Regis continuè ferebantur per regnum, à rusticis jam penè fame extinctis pinguissimè pabulandi. Quorum ductores & ascensores mirâ impietate miseros tribulabant, nunquàm contenti de his, quæ pauperes juxta posse suum ultimum offerebant. Hi igitur officiales & servi Regis virtuosi, in tantum eum reddiderant odiosum regnicolis, ut tandem contra eum arma sumentes & bella moventes, exturbarent regno. Erat autem & à principio creationis Domini Caroli Knutson in regem, & multo tempore priùs, quædam displicentia & mentalis saltem dissensio inter ipsum Dominum Carolum, & Dominum Iohannem Benedicti Archiepiscopum Vbsalensem; tum quia Dominus Carolus, cum esset Marschalcus & gubernator regni, inhumaniter & tyrannicè tractaverat Christernum Nilson, avum ejusdem Domini Archiepiscopi, patrem scilicet matris ejus, ipsum captivando, & castris quibusdam & feudis spoliando; tum quia frater Domini Archiepiscopi, post mortem regis Christopheri electus esset in gubernatorem regni, & nullo modo consentiret electionem regis fieri, illâ vice Dominus Carolus, omnibus modis & viis & mediis procuravit electionem fieri, per quam & in qua ipse pervenit ad Coronam; Quod non placuit Archiepisco, nec patri ejus cæterisq; amicis, Episcopo Stregnensi D. Erico Scrytatori extremè pro Domino Carolo laborante, & Domino Archiepiscopo tunc quidem electo, sed nondùm confirmato, minùs decenter, minusque reverenter respondendo, in omnibus obsistente, Vnde factâ electione regis Caroli Dominus Electus præfatus adiit Vbsaliam, ipso insalutato. Sed suadente & penè cogente Capitulo reversus est, & homagium fecit regi Carolo tunc electo. Consequenter in tractatibus & negotiis regni, hæ duæ partes plurimùm dissenserunt. Vndè etiam propter conclusa Halmstadi, ubi intererat Dominus Nicolaus Iönson patruus Archiepiscopi, privavit rex eundem Nicolaum castro Oerebrogensi, quod tradiderat ei post ablatum sibi per astutias castrum Nicöpense. Adauxit etiam caussas dissensionis & suspicionis, quòd frater Archiepiscopi Chri-

Christiernus Benchtson, duxit in uxorem filiam Domini Magni Green, præsente & consentiente Archiepiscopo, postquàm à regno discesserat, & regi Christierno homagium fecerat & præstiterat. Vnde ex eo tempore semper erat Dominus Archiepiscopus regi Carolo suspectus, quamvis rationabiliter, ut videbatur, & approbantibus multis, se de omnibus excusaret. Anno autem Domini MCDLVII. circa octavam Epiphaniæ Domini, vocatus est Archiepiscopus, cum multis aliis Nobilibus à Rege ad castrum Stocholmense, ubi Rex fecit nuptias celebrari. Finitâ ergò solennitate nuptiarum, Archiepiscopus petiit à Rege sibi refundi damna, quæ pertulerat in captivatione servorum suorum, & amissione navium, & armorum, in æstate præterita proximè præcedente sibi per manum hostium sublatorum. Rex autem indignè hæc ferens, & se ad hæc solvenda non obligari asserens, constituit judices qui quid juris esset discernerent inter eos. Qui cùm pro Archiepiscopo tulissent sententiam, Rex indignatus & vehementer iratus, judices arguebat, atque ita inde discesserunt minùs benè contenti de Rege. Paucis autem post hæc elapsis diebus, Rex fecit edictum generale, ut expeditis armatis illum comitarentur, ad recuperandam Oelandiam, quam Magnus Green invaserat, & nomine regis Christierni tenuit occupatam. Cùm igitur omnis multitudo expeditorum armatorum, de diœcesi Vbsalensi iter arripuit proficiscendi ad Regem, ut suam impleret de fugandis hostibus voluntatem, Dominus Archiepiscopus occasione acceptâ, circa festum Conversionis B. Pauli Apostoli, captivari fecit præfectum regis quendam Haquinum Suenson, & duci ad Curiam Salestad carceri mancipandum. Die verò sequenti intimavit in valvis Ecclesiæ Vbsalensis, se eidem Regi, homagio & obædientiâ subtractis, velle per omnia adversari, ipsum multipliciter infamando. Tunc cives Vbsalenses, & rusticos qui advenerunt, à Regis obædientia abstrahendo, & in partem suam alliciendo, transiit ad Enecopiam & Arosiam, similiter faciendo, & castrum Arosiæ obsidendo. Rex igitur per amicos de gestis Archiepiscopi avizatus, ascendat de Ostrogothia ad Nycopiam, captivando ibidem Ericum Absalonis, qui castrum habebat. Et occurrentibus ei Holmensibus armatis, conse-

consequenter ascendit ad Stregnees, ut deinde veniens Arosiam, Archiepiscopum debellaret. Sed præveniens Archiepiscopus cùm adhuc Strengis esset, affuit summo manè. Facto autem brevi & subitaneo congressu, Rex fugam arripuit, licet optimos haberet bellatores, & multitudinem copiosam, eò quòd non esset qui ordinem daret, aut modum pugnandi, venitque præcipitanter Holmiam. Quem Archiepiscopus à pede secutus, oppidum Stocholmense firmâ obsidione ligavit. Aliquandiu igitur pugnatum est obsidione durante, nec de amicis, aut præfectis regis Caroli aliquis appropinquavit, qui auxilium ferret incluso. Sentiens igitur rex Carolus Archiepiscopum cum sibi adjunctis obstinato animo, & implicabili odio contra salutem ejus unanimiter conspirasse; & metuens ne cives Holmenses sibi fideliter non assisterent, rebus suis ordinatis, & thesauro, quem nimis magnum habebat, locis congruis, ut credidit, deputato, nocturno tempore clam effugit, & in Prussiam divertens, mansit in exilio septem annis, in civitate Gedanensium moram ducens. Redeunt ergò in patriam, qui sub ejus principatu transfugerunt ad regem Christiernum, Magnus Green, Turo Tureson, Episcopus Scarensis Benedictus, Gustavus Laurensson, & alii valde multi. Postquam verò rex Carolus, ut præmittitur, aufugisset, faciliter Archiepiscopo, & qui cum eo oppidum Holmense obsederant, patebat ingressus. Die enim Cathedræ S. Petri, quem tunc solenniter celebrandum instituit, portis civitatis apertis, Archiepiscopus cum eo, quem habuit exercitum, introivit, & intra mensem castrum illud tantæ firmitatis sibi obtinuit assignari. Vide quanti animi, quantæque fidelitatis sunt Sueci, aut potiùs Sueciæ inhabitatores in conservanda fide Principibus & Dominis suis, Dominis Suecis, Quondam enim capto rege Alberto, cùm pugnarent adversus oppidum Holmense tria regna, septem annorum obsidione non est victum, neque sequentis temporis decursu, donec Regem suum haberet à captivitate, & grandi summâ pecuniæ liberatum. Quid dicam de civitatibus aliis & castris, quæ à fidelibus civibus & servis, etiam cum extrema famis angustia, suorum Dominorum usui multorum annorum curriculis fideliter conservarentur. Sed hæc est conditio civitatis convenarum.

venarum. Acquisitis igitur oppido Stocholmensi & castro, & optatâ tranquillitate possessis, mittuntut ad regem Christiernum solennes nuncii, qui eum lætificent, & nuncient statum & ordinem rei gestæ. Erant autem missi qui bona sua vendiderant regi Carolo, ut eo excluso daretur eis fiducia obtinendi ad ea recursum. Circa festum igitur Pentecostes, nulla facta fuerat de rege Christierno mentio, quod in regem Sueciæ assumendus, eò quod esset regni gravissimus hostis, & præcipuus inimicus. Et ecce subitò visus est cum magna classe navium, circa extrema rupium portus Holmensis anchoras fixisse, & stationem firmasse. Quod cum jam latere non posset, directis nunciis & litteris Holmiam, dicebat se certâ & fide dignâ relatione cognovisse, quod rex Carolus ingentem de Prussia parasset exercitum, & intenderet regnum Sueciæ manu hostili, igne vastare & gladio, seque ob nihil aliud venisse, quàm ut hanc tantam rabiem & tyrannidem à regno Suecorum avertat, & ab omni hostili conservet incursu. Tunc qui per ejus adventum se sperabant in melius proficere, cæperunt de ejus assumptione tractare, & de facili concludendo inferre, quod syllogyzaverunt in occulto. Mittuntur igitur ad eum per nuncios honoratos articuli sigillandi, quos si vellet inconcussè servare, sciret se indubiè assumendum in regem. Sed quales ei possent offerri articuli, quos se non promitteret observare, & consentiret continuò sigillare, ut rex fieret, dum neque Deus, neque judicium ejus, neque metus gehennæ haberentur præ oculis! Accelerantur ergo omnia, sigillantur, promittuntur, jurantur omnia antequam nominantur, & cum jubilo introducitur in oppidum Stocholmense. Daci autem qui cum eo advenerunt, maledixerunt his qui castrum Holmense Archiepiscopo tradiderunt, ut non ipsi illam gloriam consequerentur, quod ipsum victorialiter acquisissent, & spolia divisissent. Amarè irridebantur ab eis omnes, qui putabantur in expulsionem regis Caroli præstitisse consilium, auxilium vel favorem. Tunc enim parcebatur Archiepiscopo, ne quid ei hujusmodi imputaretur ab eis. Sed subdolâ irrisione laudabantur Prælati, & Canonici Ecclesiæ Vbsalensis, quos contigit cum eis aliquando conversari, dicentibus illis quod rem magnificam operati fuissent, talem & tantam, consiliis, auxiliis,

auxiliis, prudentiâ, &c. excludendo & fugando. Ac si eorum consilio & cooperatione Archiepiscopus talia attentasset, & ut hæc eorum subsannatio & ironica laudatio traditoriæ actionis in Archiepiscopum redundaret. Prælati verò qui talia audierunt, spretâ & repulsâ laudatione hujusmodi ironicâ & dolosâ, hoc opus affirmabant ad Capitulum minimè pertinere, nec tanquàm de Capituli consensu, aut consilio processisse. Procedente verò tempore qualem laudem, & qualem titulum exinde Archiepiscopo tribuebant, testis est retributio subsequuta. Non longè enim ex pòst, contendenti cuidam Episcopo Daciæ adversus Principem, comminativè & improperativè objectum est: *Nunquid & tu facturus es sicut Episcopus Vbsalensis?* Nolente illo Archiepiscopum nominare. Annis autem duobus, aut tribus ante captivationem Archiepiscopi, invaluit contra eum clamor detestandæ proditionis, ab his quorum intuitu & amore, ea quæ præmissa sunt contra regem Carolum fuerunt attentata. Et eâ æstate qua captus est, innumerabiles libelli famosi scripti, & in plateis undique & cœmiteriis, & in Ecclesiis Holmensis oppidi sparsi fuerunt, continentes: *Archiepiscopus est traditor*, & alia similia. Hoc autem majoris est ponderis, quòd cùm Archiepiscopus esset captus, & in captivitate detentus, & mentio fieret de interdicto servando, ad obstruendum ora Capitularium Vbsalensium, & aliorum servare volentium interdictum, compositi sunt, & tandem in congregatione cleri & Nobilium, Regisque præsentia recitati Articuli quidam difficiles & prægnantes, personam Archiepiscopi tangentes captivati. Qui omnes fundati erant in facto Archiepiscopi contra regem Carolum attentato, cùm nihil inveniretur cum eo, quod contra regem Christiernum vel in minimo attentasset. Sed nec idcirco apud eum ejus conditio erat melior, sicque verificatum est illud: *Cujus amore Deus contemnitur, ejus persecutione contemnens punitur.* Quod ergò in regem Carolum Archiepiscopus deliquit, rex Christiernus, cujus hæc amore fecerat, vitam, famam, corpus & animum, amicos, consanguineos, Ecclesiam & clerum extremo & ultimo periculo exposuerat, exquisitissimè puniebat. Et quod deliquit in Archiepiscopum rex Christiernus, & si non alius, ipse puniebat, dicente Augustino: *Jussisti Domine, & ita est, ut*

pœna sit sibi quisque peccator; dum illum abstulit, qui eum conservabat in regno, cujus industriâ, cujusque labore multiplici regnum Sueorum adeptus est, seipsum abstulit à potestate regnandi, regnumque sibi consequenter ademit. Cumque ergò rex Christiernus sceptrum, coronam, principatum & administrationem regni Sueciæ accepisset, tota Monarchia hujus vastæ regionis mirum in modum, & supra spem multorum, cum castris & munitionibus ejus manibus se subjecit. Et eo tempore Rex ipse multis in locis & terris fuit incredibiliter prosperatus. Tunc post tria regna Holsatiam & Stormariam acquisivit,& in omnibus ei mundana prosperitas arridebat. Reposuerat rex Carolus tempore sui recessus ab Holmia, grandem thesaurum in auro & argento apud fratres Prædicatores, & Minores oppidi Stocholmensis; quem Archiepiscopus post exitum regis Caroli, instantissimè perquirebat, sed minimè obtinebat. Rege verò Christierno coronato, Monachi, qui hujusmodi thesauri custodes derelicti fuerunt, favorem regium, & nescio si quid ampliùs lucraturi, motu proprio, spontè & irrequisiti accesserunt, & hunc se thesaurum habere non modicum gloriati, regis Christierni manibus assignarunt. Quem rex Christiernus, cùm esset utique thesaurus regni Sueciæ, ad futuras regni necessitates reservandus, & fideli ac tutæ custodiæ deputandus, septem (ut dicebatur) magnis vasis inclusum mox transmisit in Daciam. Sicut & cistas illas, quas pecuniis repletas acceptâ Oelandiâ pariter accepit. Sed dispar erat ratio utriusque. Tunc enim hostis erat regni, & contra regnum bella fovebat apertè; nunc autem rex effectus, tenebatur ex juramento & debito regalis officii, non solùm regni jura integraliter & fideliter, in profectum & incrementum patriæ conservare; sed & seipsum ubi opus esset, tanquàm Princeps fidelis exponere pro Republica promovenda, conservanda & augmentanda. Mirum autem quòd regi Carolo de Prussia reverso, principalis custos hujus thesauri, scilicet Doctor Petrus Laurentii, rege intrante in regnum, & Holmense oppidum intraturo, diem clauserit extremum, quasi potestatem habuisset ponendi animam suam, & iterum resumendi. Sed & Monetarius, qui in magna summa pecuniæ tenebatur, ipso intrante defunctus est. Cognito autem Caroli regis

regis reditu de Prussia, rex Christiernus Archiepiscopum à vinculis relaxavit, & ad Sedem suam redire permisit, cujus contrarium juramentis plurimis fuerat protestatus. Sed non propter Iesum tantùm, sed hac, ut creditur intentione, ut iterùm regem Carolùm debellaret, & à regno denuò exturbaret. Sciebat enim Archiepiscopum, & regem Carolum non posse se in uno regno compati, nec posse ullatenus concordari. Valde autem mirabile erat, quod Dominus Archiepiscopus post tantam suam vilipensionem, dejectionem & infamationem factam à Dacis, tanto glutino charitatis illis adhæserit, ut iterùm non semel tantùm, sed pluries regem Carolum molestaverit, expellendo, & ad restituendum regem Christiernum ad possessionem regni, tanta postea bella gesserit, & pugnaverit ante Holmiam, tanta sustinuerit, tanta fecerit, ut sui amore in exilio moreretur.

Postquàm autem rex Christiernus per Archiepiscopum laboraverat multifariè, multisque modis ad regnum Suecorum restitui, ipso defuncto, per ejus consanguineos & amicos, aliosque quos regi Carolo putabat infestos, regnum recuperare multipliciter attentavit, nunc gûerris, nunc bellis, nunc tractatibus & dietis. Sed in vanum laboraverunt, quotquot ad hanc iniquitatem extenderunt manus suas.







JOH. LOCCENII
NOTÆ
IN
ERICI UPSAL. HISTORIAM SUECICAM.

In Lib. I.



FACILE videbit Lector, Scriptorem nostrum, qui ante ducentos & quadraginta annos vixit, pro seculi sui genio sæpe verbis Latino-barbaris uti: quæ longum & tædiosum esset singula interpretari. Qui volet, eorum explicationem ex accurato Vossij opere de Vitiis sermonis petere poterit. Nobis satis erit, minus obvia juventuti, & Lectoribus Sueticæ linguæ, ex qua sæpe quædam admiscet Ericus, ignaris explicare.

Famosius] fama notius, celebrius. Sic Lib. III. *Qua n eorum absentia famabantur*, pro famâ spargebantur.

Incolatu] pro inhabitatione. Voss. de Vit. Sermon. III, 16.

Curia] pro aula & conventu, sæpe. De qua voce alibi plura.

Pelles pro foderatura aptissima] Foderatura i. e. qua vestis suffulcitur, à Sueco Germanico Foder / & inde barbaris *Foderae*. Vid. Voss. de Vit. Serm. II, 6. in *Fodratura*.

Contracta] & alibi, pars territorii. Vid. Voss. in *Contrada*.

Sueciam suam Mesiam, quasi minorem Scythiam vocaverunt] Mœsiam Pannoniæ vicinam confundit cum Suecia.

Zweriþe / *hoc est duo regna*] Rectius scribitur Suerige / quasi Sueonum regnum, de quo plura lib. I. Antiq Sueogoth. cap. I. *Civitas principalis Suitensium vocatur* Zweriþe / *i. e. duo regna, & Latinè Turegum*] Hoc falsum. Tigurum Zürich / non Zweriþ / vocatur. Et Germanicum à Latino detortum est, ut Zabern à Tabernis.

Venientes Osterriþe] Hic Austriam cum Helvetia confundit, & cum ea Sueviam.

S. Olaus dicitur fugisse ad Ducem Austriæ, quia fugit ad Regem Russiæ] Glossema ex occasione mentionis Austriæ adjectum. Russia veteribus *Ostrogard* dicebatur, ratione situs, quod respectu Sueciæ versus orientem sita erat. Vnde Ericus Vpsal. lib. I. Hist. Suec. *Termini Sueciæ secundum latitudinem sunt Russia ad orientem* &c. *Gard* autem etiam pro regione vel urbe accipiebatur. Inde & *Chunigard*, quasi *Hunigard*, quod ibi Hunnorum sedes fuerit. Vid. Helmold. Chronic. Slavorum Lib. I. cap. I. Chronicon S. Olai Ms. & Stephan. in Saxonis Lib. VIII. Hist. Dan. pag. 185.

tafalja. *Ribaldos*] nebulones. *Ribaldi* enim vox pro vili, nequam, fugitivo Francis, Germanis, Belgis & Suecis accepta. Vid. Voss. de Vit. Serm. Lib. II. cap. XVI. in *Ribaldus*. Nostrates Sueci adhuc erronem & fugitivum Raballe vocant.

Principabantur] regebantur. Principari, pro regnare. Voss. De Vit. Serm. IV. 17. pag. 725.

Querrarum] Guerrarum, bellorum.

Iste Ericus circa tempora nativitatis Christi regni Suecorum gubernacula tenuerit] Iohannes Magnus Lib. IV. Hist. Suec. cap. XXXI. & ex eo Iacobus Gislonis in Chronologia sua testantur Ericum cognomine Disertum regnare cœpisse triginta quatuor annis ante natum Christum.

Vezorem regem Ægypti] mox, *Vexorem* appellat. Iornandes de reb. Get. *Vesocem* vocat. In Iustini libris impressis est *Vexores*.

Orosius] lib. I. cap. XIV.

Goderico Tolerano] Ita in Messenii editione. Leg. *Roderico Toletano*. Vid. Ioh. Mag. præf. cap. VII.

Dan Daciam gubernaret] Dan, unde Dania primum nomen habuit, non Vrbari, sed Humeli, vel Humbli filius fuit.

Stolm] vel *Siolmus*. Iohannes Magnus Lib. VII. cap. XVII. *Hiolmum* vocat.

Quod genus Sueco nomine Mara *dicitur*] Ita *incubum* vulgò dicunt.

Wapneuadh] quasi *armorum vadum*.

Odesund] Othesund propriè dicitur ab Othonis Imp. istuc accessu. & ita Ioh. Magn. 6, 5. *Othasund, sive Othini sinus*. Potius *Othonis sinus*.

Limo-

Limosund] Lymicus sinus. Vid. Sax. Lib. x. pag. 182.

Egil, cognomento Vendelkråka] Chronicon Norweg. Snorronis Sturlæ F. pag. m 22. vocat *Ottarum Vendelbokraaca* Egilli fil. & refert, inde sic cognominatum : quod occisi à Norvegis hujus Regis cadaveri apposuerint corvos, & deinde corvum ligneum ad Suecos miserint, significandi animo, ab hujusmodi volucribus Ottarum consumtum esse. Sed alii aliter.

Lagenöö] Ioh. Magnus Lib. VIII. cap. XXIV. *In insula Balthici maris, quam Langam vocant* Langelandiam signare videtur.

Ingemarus] Post Ingemarum inserit Iohannes Magnus Lib. VIII. cap. XXV. & seqq. usque ad finem libri octavi seriem viginti unius regum internorum Sueciæ, de quibus nihil Ericus Upsal.

Höghaberd] Campi editiores. *Campos erectos* vocat Ioh. Magnus Lib. XVII. cap. III.

Vidfaren] Longè peregrinatus.

Schotta Konungh] quasi *tributarius Rex*. De istius cognominis ratione plura dixi in ejus Regis vita.

Sigrid hin rijke / Knut hin rijke] Sigris & Canutus *divites* ab opibus cognominati.

In Lib. II.

O*Laus* Schotta Konungh *ponatur primus* Rex *Christianus in Suecia*] Non quod primus esset, qui fuit Bero III. sed ob constantiam ejus in religione & propagationem Christianæ fidei: Vide me in Vita hujus regis pag. 14. 15.

Nescio qua ex causa combustus est Upsalia] Caussam attuli ex Snorronis Chronico Norveg. in Hist. Suec. Lib. I. pag. 16. circa fin.

Regem Suenonem multipliciter infamarent &c.] Aliter hæc refert Ericus Upsal. & ex eo Iohannes Magnus 17, 17. aliter Chronicon Norvegic. ut pluribus observavi in Historia mea.

*Tallian*tur] tributis onerantur. Sic Lib. IV. *Tallias gravissimas imponebant.* pro *exactiones g.* Vid. Voss. in Append. de Vit. Serm. pag. 812.

In quadam invitata] In quodam convivio, ut videtur.

Ulpho Sprakelegh] Ita cognominatus, quod esset impeditæ linguæ.

Amundus Kolebrenna] Carbonarius cognominatus; unde, dixi in ejus vita Lib. I. Hist. Suec. pag. 25.

Bumentanis] malè. emenda: *Beneventanis.*

Quod ille intelligens] Præter alios lege Camerar. Cent. III. Meditat. Hist. cap. LXV.

In Lib. III.

C*Ontigit in Lenum, duo Danske lupo för enom*
[i. e. duos Danos fugabat unus]
Aff Suenskom Sueum togo dorsum verbere plenum.
[i. e. à Suecis juvenibus { capiebant / auferebant } d. v. p.

Pontanus hos versus Lib. VI. Hist. Danic. pag. 301. sic expressit:

Contigit in Lana, Thuo Iutta lupa forena,
For Suenska Suena, thoga dorsa verbere plena.

Sed priores, linguæ Sueticæ genio magis conveniunt.

Baronia] Sæpe, pro ordine equestri. Vide meas Antiquitat. Sueogoth. Lib. 2. cap. 2.

Domicellus] Quem vulgò vocant Juncker.

Rotatus] Pro rotâ fractus.

Drossatus regni] Princeps Senatus, de quo alibi plura.

Caristia] Caritas annonæ. Vid. Voss. de Vit. Serm. 3. 3. pag. 372. & in Append. 817.

Cruciata] Historia de cruce Christi, ut videtur.

Rex Birgerus Militem fecit] Militem, id est Equitem. De qua voce plura Reineccius ad Anonymi Lib. IV. Annal. Caroli Magni p. m. 50.

Ingriam & Valandiam] Ioh. Magnus Lib. XX. Hist. Suec. cap. XII. habet *Nigram & Vatlandiam.* Sed ex Erico emenda: *Ingriam c. v.*

Literas hujus continentiæ] pro *hujus tenoris.*

Hyposarcha, vulgariter Schiorbiurg] Latin. Oscedo, Græc. Στομακάκκη, si os, Σκηλοτύρβη, si crura infestet, dicitur. Itaque in Historia mea Suecica pag. 61. malim pro *scelotyrben* oscedinem vel stomacaccen reponi.

Suum] pro *eius*, & *eum* pro *se*, non semel.

Keslebötare] cacaborum reparatorem.

Ingt] hominem nihili.

In Lib. IV.

I*Rruunt in stubam*] in hypocaustum. Vid. Voss. de Vit. Serm. 2, 17. pag. 288.

Treuga] induciæ.

Passagium] iter, transitus.

Salam] pro cœnaculo.

Cederet in singultum] in luctum.

Dietam

Dietam celebrantes] comitia, conventum c.
Superjecto baldechini] stragula. Pell vulgò vocamus.
Thet tychte thom Herrom åtloije wara &c.] h. e. *Videbatur dominis derididiculo esse*,
Cum rustici accedentes cum sua querela ita alloquerentur Regem:
Benignissime Domine Rex administra nobis justitiam.
Rex autem respondit: *Non possum emendare mi cliens.*
XXXM. noblorum] Rosatos nobiles, ut vulgò vocant, intelligit.
In monasterio Drobranensi.] Ita in priori editione. Emendandum: *Dobranensi. Dobran* est monasterium in Ducatu Mechlaburgensi.
Bondabergh vel Skadabergh] Rusticorum mons vel damnosus mons ab eventu, clade dictus.
Håttebröder] cucullati fratres.
Usque ad finem completorii] complementi sacrorum. Vid. Voss. de Vit. Serm. 3, 26. in *Completorium.*
Traditores] proditores.

In Lib. V.

INtranei] indigenæ.
Civitates Stagnales] pro maritimis.
Imbriam] leg. *Cymbriam* vel *Fimbriam* quam vulgò Femern vocant.
Unam marcatam terræ] Markland nostrates vocant, Fundi enim & agri ex prisco instituto secundum marcas & asses distinguuntur, ut pluribus notavi in Antiquit. Sueogothic. Lib. II. cap. XIX.
Valles & inde *Vallenses*, ut vocat, sunt Dalii vel Dalecarli.
Fru] domina.
Greswe Hans] comes Iohannes.
Rumpeskat] tributum pro caudis jumentorum impositum.
Drotninga mark] Reginæ marca.
Swerighe skal edher föra &c.] Horum verborum sententia jam ab ipso authore expressa est. Hoc autem dictum alii referunt ad Margaretam Reginam, quasi illud instillarit Erico. Noster author Christophoro Regi dictum scribit, quod temporis rationi non satis convenit: quum illa ante hujus imperium jam decesserit.
Rodenses] sunt Roslagii. Nam Rodarätt dicitur jus Roslagiorum in cap. 13. Ting. Vpl.
Commendator de Prussia] Magister ordinis Teutonici.
Jungfruhampn] quasi virginis portus.
Eder Ja herre wil jagh icke wara] Ad verbum: Vester dominus, qui in omnibus annuat, vel assentiatur, esse nolo.

ERRATA

SIC EMENDANDA.

PAg. 3, lin. 7. *catholica.* 6, 35. *nihilominus Sueci.* 10, 21. *sciensque.* 20, 38. *apertè non.* 24, 32. *ad credulitatem induxit.* 26, 39. *mentio.* 29, 38. *defosso meatu.* 37, 35. *pinguius.* 38, 26. *villa Lioni vel* Lifueni. 39, 11. *Graecè quod.* ib. 22. *suscepit.* 44, 29. *Filium Erici R.* 47, 31. *vocavit Canutum.* 59, 36. *sed quod.* 76, 8 *absque emendatione.* 79, 18. *Rösl.* 81, 35. *ipse pleno.* 86, 13. *debita.* 87, 14. *bellatorum, Sueci.* 89, 9. *ad claudendum.* 90, 30. *Natalis* 91, 32. expunge *labore.* 100, 23. *qua Daci via.* 109, 9. *die & loco.* 110, 16. *Torerus.* ib. 30. *emergentibus.* 112, 1. dele *qua.* 114, 35. *strinxisset.* 118, 28. *portabant.* 122, 20. *Dominos, in filios.* 137, 19. *devenerit.* 139, 29. *nolle dimittere.* 142, 36. *intra.* 143, 33. *civitates.* 144, 5. *pausantes.* 149, 36. *labia stillantia.* 153, 29. dele *manibus.* 156, 19. *consuetas.* 162, 2. post *festum* dele *De.* 163, 12. *Vadstenis.* 164, 29. *de treugis.* 172, 25. *baculum.* 179, 36. *vita necessariis.* 193, 31. *damnatum.* 199, 25. *incendio vastaverunt.* 200, 23. *fieri posset, Ludosiam.* 203, 37. *ascendit.* Reliquis levioribus veniam dabit lector.

FINIS.

W